GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

THESES

QUAS IN PRIVATUM DISCIPULORUM
COMMODUM CONCINNAVIT

P. IOACHIM PUIG DE LA BELLACASA, S. I.



IN COLLEGIO MAXIMO S. IGNATII SARRIANENSI
ANNO SCHOLASTICO 1926-1927

23045

DIVISIO TRACTATUS
DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

I PARS: DE PAENITENTIAE SACRAMENTO IN GENERE:

1. Exsistentia.
2. Essentia.
3. Necessitas.

II PARS: DE PAENITENTIAE SACRAMENTO IN SPECIE:

1. Materia.
2. Forma.
3. Minister.

SIGNORUM EXPLICATIO

Alap.	A Lapide.
Be	Bellarminus (B.).
Bi^{6}	Billot (Card.), ed. 6.ª
CV	Corpus Vindobonense.
D	Denzinger, Enchiridion Symb.
DA	Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique.
D'Al	D'Alès.
DT	Dictionnaire de Théologie Catholique.
Ferr.	Ferreres.
Gl	Galtier.
Hg	Hugon.
Ht^{2}	Huarte, ed. 2.ª
Knab.	Knabenbauer.
Lu	Lugo.
MG	Migne, Patrologia Graeca.
ML	Migne, Patrologia Latina.
Ot	Otten.
P^{4}	Pesch, ed. 4.ª
R	Rouet de Journel, Enchiridion Patristicum.
S	Sasse.
Su	Suárez.
T	Thomas (S.).
VCE	Ed. «La verdadera ciencia española», Barcinone, 1881.
W	Wirceburgenses.

PARS I

DE PAENITENTIAE SACRAMENTO IN GENERE

SECTIO I

EXSISTENTIA SACRAMENTI PAENITENTIAE

Antequam veniamus ad probandam directe exsistentiam sacramenti Paenitentiae, solide iaciendum est ipsius fundamentum : videlicet, stabiliendum est, Christum dedisse Ecclesiae potestatem vere remittendi peccata. Imo, in hac ipsa potestate clavium, quae dicitur, gradatim est procedendum : nam primo tradenda est eius exsistentia, tum ipsius efficacitas, tertio extensio, denique quod exercenda sit per modum iudicii. Unde, etsi tota haec sectio, ad exsistentiam sacramenti Paenitentiae stabiliendam dirigitur, nihilominus thesis in qua hoc directe probatur non nisi in fine habebitur, ut corollarium eorum quae dicta erunt de potestate clavium. Haec igitur erit synopsis huius sectionis :

Christus dedit Ecclesiae potestatem vere remittendi peccata,
et quidem quoad culpam,
et sine ulla exceptione.
Haec autem potestas est iudicialis.
Ergo exsistit sacramentum Paenitentiae.

TH. I. *Christus dedit Ecclesiae potestatem vere remittendi peccata.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Christus» : sc. Iesus ille Nazarenus, quem non solum hominem, sed etiam verum Deum esse, scimus ex tractatu de Incarnatione, cuiusque legationem divinam plene in Fundamentali vindicavimus.

«Dedit Ecclesiae» : sc. societati illi, quam etiam in Fun-

damentali ostendimus usque ad finem mundi esse permansuram.

«Potestatem *vere remittendi*»: sc. vi potestatis a Christo concessae, Ecclesia non *mere declarat, Deum remittere peccata illis qui habeant veram fidem,* ut volunt adversarii, sed *vere ipsa remittit.* Nihilominus, clarum est, Ecclesiam non remittere peccata *principaliter,* sive auctoritate propria : cum enim peccatum sit offensa Dei, solus ipse potest auctoritate propria illud remittere ; relinquitur ergo Ecclesiam *instrumentaliter,* auctoritate vicaria, hoc facere.

«Peccata» : offensas Dei. Cum autem peccator evadat coram Deo reus culpae et poenae, nondum expresse contendimus, efficacitatem huius potestatis pertingere ad ipsam culpam remittendam (etsi argumenta id etiam evincunt), sed hoc servamus ad thesim sequentem, in qua adversarios habebimus quosdam antiquos doctores catholicos. Ponimus autem duas theses distinctas, ne hos catholicos cum protestantibus permiscere videamur.

II. ADV. Praecipui saltem, adversarii huius theseos sunt protestantes, iuxta quos Christus non dedit Ecclesiae potestatem *vere remittendi* peccata, sed *tantum praedicandi Evangelium,* seu *annuntiandi vel declarandi, Deum peccata remittere illis qui credunt.* Haec doctrina nititur in eorum theoria fidei unice iustificantis : videlicet, iuxta ipsos, quilibet eo ipso quod firmiter sibi persuadeat, merita Christi sibi hic et nunc imputari, iustificatur, neque est alia via possibilis ad iustificationem obtinendam : hinc nullus homo potest habere potestatem *vere remittendi* peccata, sed *tantum declarandi, Deum peccata remittere illi qui habeat fidem iustificantem* (V. damnationem huius theoriae de fide protestantica iustificante in D 822-824, uberius autem in tractatu de Gratia ; interea cf. S I, 27-28, II, 31-32 ; Ht² 6, n. 4-10 ; Ot 65).

III. CENS. De fide definita in D 913, 919, 894 fin., 902 fin. Modernistae damnantur in D 2046-2047.

ARGUMENTA

PROB. I. EX SCRIPT. Io. 20, 21-23. Si haec verba intelligenda sunt sensu proprio, Christus dedit Ecclesiae potestatem vere remittendi peccata. Atqui haec verba intelligenda sunt sensu proprio. E

Mai. admittitur et patet.

Min. prob. Verba Scripturae intelligenda sunt sensu proprio, nisi tropus positive ostendatur (admittitur et patet). Atqui hic tropus non modo positive non ostenditur, sed etiam positive excluditur. Ergo haec verba intelligenda sunt sensu proprio.

Min. ultima. *Quod hic tropus positive non ostendatur,* patet ex inanitate hypoteseos protestantium de fide unice iustificante, quam inanitatem demonstratam supponimus (ex tractatu de Gratia ; v. interea S I, 44-50).

Quod hic tropus positive excludatur, prob. Ponamus, verbum «remittere peccata» intelligendum esse tropologice, ita ut significet «declarare peccata esse remissa» ; tunc sensus verborum Domini : «quorum remiseritis peccata, remittuntur eis», hic erit : «quorum declaraveritis peccata esse remissa, declarantur esse remissa». Atqui hic sensus est evidenter absurdus, et ne ab ipsis quidem adversariis admittitur. Ergo tropus hoc loco positive excluditur. — *Adversarii* in protasi quidem admittunt tropum, in apodosi autem negant ; sed, quo iure in eadem locutione mutant significationem eiusdem verbi, cum non solum nihil indicet eam esse mutandam, sed potius tota emphasis locutionis versetur in eiusdem verbi, eiusdemque plane significationis, repetitione ?

Praeterea hoc verbum «remittere peccata», cum Christus loquebatur, fixam iam, et omnibus notam, significationem habebat, vere et proprie remittendi peccata, ut patet, v. gr., in sanatione paralytici, ubi dicente Iesu : «Remittuntur tibi peccata tua» (Mt. 9, 2), omnes hanc locutionem intelligunt sensu proprio (Mt. 9, 3-8) ; nemo autem, neque hoc loco Scripturae, neque ullo alio, quo agitur de remissione peccatorum, cogitavit unquam de potestate praedicandi Evangelium aut declarandi peccata esse remissa (Cf. Mt. 6, 12-15 ; Mc. 11, 25-26 ; Act. 2, 38 ; 1 Io. 1, 9, etc.).

Denique dicit Christus (Io. 20, 21) : «*Sicut* misit me Pater, et ego mitto vos». Atqui Christus missus est a Patre cum potestate *vere remittendi* peccata (admittitur et patet). Ergo, nisi contrarium positive ostendatur, etiam Apostoli, eorumque successores, mittuntur a Christo cum potestate *vere remittendi* peccata.

Nota. Constat, ex dictis, Christum dedisse Ecclesiae potestatem vere remittendi et retinendi peccata (brevitatis causa locuti sumus tantum de potestate remittendi). Atqui potestas vere remittendi et retinendi peccata est quaedam potestas ligandi et solvendi a morali vinculo peccatorum

(admittitur et patet). Ergo remittendi ac retinendi potestas continetur in ambitu amplissimae potestatis ligandi et solvendi (Mt. 16, 19 et 18, 18), quae uno verbo dicitur *potestas clavium;* et ita eam passim intelligunt Sancti Patres (Cf. D 899, 902, 920).

PROB. II TRAD. Nota. Quoniam multi moderni acatholici documenta omnia quae allaturi sumus quasi a priori reiciunt, opponentes, Ecclesiam in his omnibus non intendisse peccata *vere coram Deo remittere,* sed *tantum peccatores coram ipsa Ecclesia reconciliare,* sc. admittere iterum ad pacem et communicationem eos quos, ob patrata crimina, ipsa reiecerat : speciali cura in sequentibus ostendemus, iam a primis saeculis, Ecclesiam intendisse, peccata *vere coram Deo remittere.*

Argumentum. Dupliciter argui potest : 1.° ex controversia cum Montanistis et Novatianis, 2.° ex ipsis Patrum testimoniis.

1.° *Ex controversia cum Montanistis et Novatianis.* Cum, saeculo secundo exeunte, Montanistae, et, medio saeculo tertio, Novatiani negarent, aut certe valde restringerent, Ecclesiae hierarchicae potestatem remittendi peccata, Romanus Pontifex et Sancti Patres se illis opposuerunt. Atqui potestas, quam Romanus Pontifex et SS. PP. vindicabant Ecclesiae in hac controversia, erat potestas *vere coram Deo remittendi* peccata. Ergo iam a primis saeculis agnita et vindicata est ab Ecclesia, eius potestas vere coram Deo remittendi peccata.

Mai. quoad Montanistas patet ex Tertulliano, qui, Montanista factus, affert indignatione maxima edictum Romani Pontificis ipsi Tertulliano contrarium (R 383. Cf. Eusebius, Hist. Eccl., 5, 16-19 ; MG 20, 463-483 ; Gl 135, n. 193).

Mai. quoad Novatianos patet ex Eusebio (Hist. Eccl., 6, 43 ; MG 20, 615-630. 9 ; Cf. Gl 136, n. 194).

Min. prob. Potestas, quam Romanus Pontifex et Sancti Patres vindicabant Ecclesiae in hac controversia, erat eadem quam haeretici soli Deo reservabant. Atqui haec erat evidenter potestas *vere coram Deo remittendi* peccata. Ergo potestas, quam Romanus Pontifex et SS. PP. vindicabant Ecclesiae in hac controversia, erat potestas *vere coram Deo remittendi* peccata.

Mai. ultima ex tota controversia manifesta est : de hoc enim agebatur, utrum sc. reservanda esset Deo soli, et subtrahenda ab Ecclesia, remissio omnium, aut aliquorum, pec-

catorum. Ergo manifeste de eadem potestate agebatur, quam haeretici soli Deo reservabant.

Audiatur in specimen *quoad Montanistas* Tertullianus, qui opponens thesi catholicae suam thesim montanisticam (Cf. De Pudicitia, 1, 10), dicit : (paenitentia) «aut levioribus delictis veniam ab episcopo consequi poterit *aut maioribus et irremissibilibus a Deo solo*» (R 386). *Quoad Novatianos* audiatur Cyprianus : «Nec enim fas erat... dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de saeculo recedentes sine communicatione et pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse et legem dederit ut ligata in terris et in caelis ligata essent, *solvi autem possent illic, quae hic prius in Ecclesia solverentur*» (Ep. ad Cornelium, 57, 1 ; CV 3, 650).

2.° *Ex ipsis Patrum testimoniis.* Plurima sunt testimonia (Cf. Gl 100-135. D'Al 5-6. D 894, fin.). Sint in specimen Chrysostomus, Pacianus, Ambrosius, Augustinus.

Chrys.: «Quaecumque ligaveritis... Habent quidem hi qui in terra imperant potestatem ligandi, verum corpora solum ; hoc autem vinculum *ipsam attingit animam,* caelosque transcendit, ac *quaecumque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat, servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit:* quid enim aliud illis dedit, quam omnem caelestium potestatem ? nam : quorum, inquit, remiseritis peccata, remittuntur... Corporis lepram purgare, immo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Iudaeorum sacerdotibus licebat... Hi vero non lepram corporis, sed *immunditiam animae, non purgatam probandi, sed potius purgandi potestatem acceperunt*» (R 1119-1120 ; De Sacerdotio, 3, 5-6).

Pac.: «Nunquam Deus non paenitenti comminaretur, nisi ignosceret paenitenti. *Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est; sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est.* Nam quid est illud quod Apostolis dicit : Quae ligaveritis... ? Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat ? An tantum hoc solis Apostolis licet ? *Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum Sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare;* quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est... *Si ergo et lavacri et chrismatis potestas... ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque ius adfuit atque solvendi*» (R 1244 ; Epist. 1 ad Sympronianum *Novatianum,* n. 6. Cf. Ep. 3, n. 1). Ubi notandum est, scriptum hoc esse *contra Novatianos,* et ideo argumentum antea deductum ex hac controversia roborari summopere : siquidem expresse hic

dicit Pacianus, potestatem, quam Ecclesiae vindicat in hac controversia, esse eamdem quam Novatiani soli Deo reservant. Praeterea, de S. Paciano etiam valet hoc quod de S. Ambrosio statim notabimus.

Ambr.: «Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utique remissio peccatorum omnium est; *quid interest, utrum per Paenitentiam an per Lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est.* Sed dicis quia in Lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Paenitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam; ubi vultis repudiatis?» (R 1295; De Paenitentia, *adversus Novatianos,* 1, 8, 36-37). Cum etiam hoc scriptum sit contra Novatianos, iterum vim habet argumentum ex hac controversia deductum. Sed est adhuc aliud forte validius: sc., remissio peccatorum, quae fit per Paenitentiam, *omnino aequiparatur illi quae fit per Baptismum.* Atqui per Baptismum peccata vere coram Deo remittuntur, neque in hac re dubium esse potest de mente Ecclesiae. Ergo, iuxta Ambrosium, per Paenitentiam vere coram Deo remittuntur peccata, neque in hac re dubium esse debet de mente Ecclesiae.

Aug.: «*Si a catechumeno factum est (homicidium) Baptismate abluitur, et, si a baptizato, Paenitentia et Reconciliatione sanatur*» (R 1864; De adulterinis coniugiis, 2, 16, 16). Ubi eadem habetur aequiparantia cum Baptismo.

TH. II. *Hac potestate remittitur ipsa culpa.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Hac potestate»: sc. potestate, de qua in thesi praecedenti, quamque probavimus Christum ecclesiae concessisse.

«Remittitur ipsa culpa»: sc. haec potestas non versatur tantum circa reatum poenae, sed delet etiam ipsam culpam, sive inimicitiam divinam, quam homo peccando contraxerat.

II. ADV. Praeter protestantes, qui, ut planum est, etiam hanc thesim negant, medio aevo fuerunt doctores quidam catholici, qui, cum exsistimarent contritione ad recipiendum sacramentum necessaria iam deleri ipsam culpam, non inveniebant quid tandem posset remittere potestas clavium; et ideo dicebant, potestate clavium non remitti ipsam

culpam, sed tantum *declarari iudicialiter esse remissam* per contritionem, vere tamen remitti peccata quoad poenam, sive aeternam, ut videntur voluisse Hugo et Richardus a S. Victore, sive temporalem, ut sentire videtur Petrus Lombardus (S 42 et 135).

Quantum tamen differret haec sententia ab haeresi protestantium, patet ex eo quod, iuxta protestantes, potestas clavium *nullam*, si proprie, loquamur, *habet efficacitatem*, sed tota efficacitas tribuenda est fidei vel potius persuasioni illi qua quis se exsistimat iustificatum ; cum e contra, iuxta catholicos praecitatos, *multum valeat* clavium potestas : sc., primo quidem ad deletionem poenae ; deinde vero, respectu ipsius culpae, quatenus contritio non iustificat nisi in ordine ad potestatem clavium, quae, iuxta ipsos, veram includit potestatem iudicialem : asserebant videlicet, contritione iustificari neminem qui non haberet sincerum propositum se sistendi tribunali Ecclesiae, addebantque, eum qui proposito deesset et Ecclesiae clavibus non se sisteret, iterum fieri Deo inimicum. (Cf. Bi[6] 231-236).

III. CENS. Contra protestantes, de fide definita in D 894 fin., 896, 902 fin., 913, 919. Contra adversarios catholicos, saltem certa.

ARGUMENTA

PROB. I SCRIPT. Io. 20, 21-23. Si haec verba intelligenda sunt sensu pleno, potestate clavium remittitur ipsa culpa. Atqui haec verba intelligenda sunt sensu pleno E.

MAI. admittitur et patet. Sane, sicut peccatum, saltem sensu pleno acceptum, significat ipsam culpam, ita «remittere peccatum», si plene accipiatur, significat remittere ipsam culpam.

MIN. PROB. Verba Scripturae intelligenda sunt sensu pleno, nisi limitatio positive ostendatur (admittitur et patet). Atqui limitatio non modo positive non ostenditur, sed etiam positive excluditur. Ergo haec verba intelligenda sunt sensu proprio et pleno.

MIN. ULTIMA. *Quod hic limitatio positive non ostendatur* (omittendo protestantes, qui refutantur eodem modo atque in thesi praecedenti), patet ex falsitate suppositi in quo innititur sententia adversariorum, sc. quod contritio necessaria ad recipiendum sacramentum Paenitentiae deleat ipsam cul-

pam ante receptionem sacramenti : non enim requiritur nisi contritio imperfecta, sive attritio, ut postea probabimus.

Quod hic limitatio positive excludatur, prob. Ponamus, verbum «remittere peccata» intelligendum esse cum limitatione adiecta ab adversariis, ita ut significet «remittere peccata tantum quoad poenam», et sic arguo : aut locuntur, de poena aeterna aut de temporali. Atqui neutrum admitti potest. *Non primum:* nam tunc, sc. si contritio ante sacramentum deleret culpam, et sacramentum tantum poenam aeternam, haberemus, hominem illum ante sacramentum esse simul haeredem caeli et damnatum ad infernum : esset haeres caeli (nam omnis iustificatus est huiusmodi, ut supponimus ex tractatu de Gratia), et esset damnatus ad infernum (ex hypothesi facta). *Non alterum:* sc., verbum «remittere peccata» non posse significare «remittere peccata, tantum quoad poenam temporalem» : nam Christus addidit : «Et quorum retinueritis, retenta sunt», cuius sensus (in hac hypothesi) esset : «Et quorum retinueritis quoad poenam temporalem, retenta sunt *quoad ipsam poenam temporalem*». Atqui hic sensus esset falsus : nam poena temporalis retineri nequit per potestatem clavium : siquidem, citra illam, potest obtineri eius remissio, sive per voluntariam satisfactionem in hac vita sive per poenas purgatorii in alia (ut suo loco probabitur). Ergo limitatio ab adversariis adiecta positive excluditur.

Nota. Applicari possunt etiam huic thesi ea quae in praecedenti diximus de sensu verbi «remittere peccata» in aliis locis Scripturae, et de verbis Christi : «Sicut misit me Pater (ad remittendam ipsam culpam), et ego mitto vos».

PROB. II. TRAD. Nota. Quoniam documenta, quae in thesi praecedenti adduximus, etiam hanc probant, sufficiet hanc eorum vim probativam breviter indicare. Unde :

Argumentum etiam dupliciter potest proponi, sc. : 1.° Ex controversia cum Montanistis et Novatianis, 2.° ex ipsis Patrum testimoniis.

1.° *Ex controversia cum Montanistis et Novatianis.* Romanus Pontifex et Sancti Patres vindicabant Ecclesiae in hac controversia eamdem illam potestatem, quam haeretici soli Deo reservabant. Atqui haec erat evidenter potestas remittendi ipsam culpam. Ergo Romanus Pontifex et Sancti Patres vindicabant Ecclesiae in hac controversia potestatem remittendi ipsam culpam.

2.° *Ex ipsis Patrum testimoniis.* Brevitatis causa, insis-

temus tantum in illis quae adduximus in thesi praecedenti.

Chrys. ita extollit excellentiam sacerdotii christiani prae iudaico: Sacerdotes christiani «non lepram corporis, sed *immunditiam animae, non purgatam probandi, sed potius purgandi potestatem acceperunt*» (l. c.) Atqui *purgare immunditiam animae,* evidenter est remittere ipsam culpam (poena non est *immunditia,* nec *purgatur,* sed remittitur). E.

Pac. (l. c.) expresse vindicat Ecclesiae eamdem potestatem, quam haeretici soli Deo reservabant. Unde roboratur argumentum supra factum ex controversia Novatiana.

Ambr., Aug., ipseque *Pac.* (ll. cc.) remissionem quae fit per Paenitentiam omnino aequiparant baptismali. Atqui haec est evidenter, iuxta illos, quoad culpam. Ergo et illa.

Dif. v. in Sanct. Thp. 44, Schol.

TH. III. *Nullum est peccatum tam grave, quod virtute huius potestatis ab Ecclesia remitti nequeat.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Nullum est peccatum tam grave»: sc., non datur ullum peccatum, quantumvis gravissimum, quod sit irremissibile. *Non tamen negamus,* aliquando *subiectivam dispositionem peccatoris* posse esse talem, ut morali quadam certitudine dicere possimus, illum non iustificatum iri: non ex eo quod peccata ipsius sint nimis gravia, sed quia praecludens sibi positive omnem viam ad paenitendum, moraliter certo dicere possumus, fore ut ille nolit paenitere; hoc autem (ut postea probabimus) necessarium omnino est ad iustificationem.

«Quod virtute huius potestatis ab Ecclesia remitti nequeat». Dicimus, peccatum quodlibet non solum in se esse remissibile, sed etiam vi potestatis Ecclesiae a Christo concessae.

II. ADV. Saeculo secundo exeunte *Montanistae* et medio saeculo tertio *Novatiani* negaverunt Ecclesiae potestatem remittendi peccata graviora (S 45, fin. Gl 135, n. 193-194).

Multi autem *moderni* acatholici, causam tenentes Montanistarum et Novatianorum, dicunt, apud praedictos haereticos inveniendam esse veram doctrinam primaevae Ecclesiae, veramque intelligentiam quorumdam textuum Sacrae Scripturae, quibus potestas Ecclesiae concessa, si qua fuerit, ad peccata quaedam leviora restringitur.

III. CENS. De fide definita in D 911, ubi definitur, sacramentum Paenitentiae esse institutum pro fidelibus Deo reconciliandis «*quoties* post Baptismum in peccata labuntur», sive, ut dicitur in D 430, fin., «si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest *semper* Paenitentiam reparari». Cf. D. 895

ARGUMENTA

NOTA. Postquam ostendimus (in thesi I), potestatem remittendi peccata contineri non modo in Io. 20, 21-23, sed etiam in Mt. 16, 19 et 18, 18, iam possumus uti his omnibus textibus ad cognoscendam extensionem potestatis concessae, atque ita agunt Patres et Auctores communiter. Colligamus igitur elementa quae in his textibus inveniuntur, et habebimus sententiam Christi esse huiusmodi: «Quorum hominum quaecumque peccata remiseritis vel solveritis in terra, remissa vel soluta erunt in caelis». Hoc posito, sic arguo ex his verbis, manifeste indefinitis et universalibus:

PROB. I. SCRIPT. Verba Scripturae indefinita et universalia intelligenda sunt sine ulla limitatione, nisi haec limitatio positive ostendatur. Atqui haec limitatio non modo positive non ostenditur, sed etiam positive excluditur. E.

MAI. admittitur et patet.

MIN. *Quod haec limitatio positive non ostendatur,* patet tum ex eo quod nullus afferri potest textus in quo directe asseratur potestatem Ecclesiae esse limitandam, tum ex eo quod rationes indirectae quae afferuntur ab adversariis non probant, ut constabit ex solutione difficultatum.

Quod haec limitatio positive excludatur, prob. Verba Christi non solum non restringunt ullo modo potestatem, sed etiam sunt *positive universalissima:* «Quodcumque solveris, quaecumque solveritis». Praeterea, Apostoli mittuntur ad remittenda peccata, *sicut Christus* missus est a Patre. Atqui Christus saepe manifestavit, se quibuscumque peccatoribus, quantumvis scelestissimis, peccata remittere (Cf. ovem perditam, drachmam quaesitam et inventam, filium prodigum, peccatricem apud Simonem iustificatam, mulierem adulteram in pace dimissam, latronem in cruce admissum ad paradisum). E.

PROB. II. TRAD. Quoniam multa sunt documenta, et aliqua longiore expositione indigent (Cf. Gl 135-186),

brevitatis causa, tantum singula testimonia e singulis primis saeculis adducemus: nulla est enim in reliquis difficultas.

Saec. I. *S. Iohannes Apostolus* refertur a S. Clemente Alexandrino (in «Quis dives salvetur», 42; MG 647-651) restituisse Deo et Ecclesiae iuvenem qui post Baptismum evaserat perditissimus: illum, videlicet, «praematura potitum libertate, aequales quidam sibi adiungunt, desides ac dissoluti, et flagitiis omnibus assuefacti... Illis igitur ipsis assumptis, institutoque latronum collegio, dux ipse latronum haud segniter erat; violentia, caedibus atque atrocitate cunctos superabat».

Saec. II. *S. Dionysius Corinthius* refertur ab Eusebio (Hist. Eccl., 4, 23; MG 20, 386) scripsisse epistolam ad Ecclesiam Amastrianorum et ceteras simul Ecclesias Ponti, in qua «multa quoque de nuptiis et de castitate eis praecipit, et *cunctos qui a quovis lapsu sive delicto, sive etiam ab haeretico errore convertantur suscipi iubet*». (Textui graeco fidelius adhaerentes, Mignianam versionem paululum immutavimus).

Saec. III. *S. Cyprianus,* scribens Antoniano (a. 251/2), «cuius animus, Novatiani litteris motus, nutare coeperat» (Ep. 55, 2), dicit: «*Neminem putamus a fructu satisfactionis et spe pacis arcendum... Quodsi invenimus a paenitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam,* secundum quod ille misericors et pius est, *per sacerdotes eius pacem posse concedi, admittendus est plangentium gemitus et paenitentiae fructus dolentibus non negandus*» (Ep. 55, 27 et 29; R. 577 et 578).

Saec. IV. *S. Pacianus:* «Quaecumque solveritis, inquit; *omnino nihil excipit. Quaecumque, inquit: vel magna vel modica*» (Ep. 3 ad Sympronianum, *Novatianum;* R. 1245).

Saec. V. *S. Augustinus:* «*Fuerunt qui dicerent quibusdam peccatis non esse dandam paenitentiam; et exclusi sunt de Ecclesia et haeretici facti sunt: in quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia*» (Sermo 352, 3, 9; R. 1533).

Dif. v. in Sasse, pp. 48-54

TH. IV. *Haec autem potestas est iudicialis.*

PRAENOTANDA

I. DECL. Duo sunt declaranda : primo, quid sit potestas iudicialis, et secundo, quo sensu potestas remittendi ac retinendi peccata, de qua egimus in thesibus praecedentibus, sit iudicialis.

QUID SIT POTESTAS IUDICIALIS. Potestas iudicialis est «facultas a suprema auctoritate descendens, ad ferendam sententiam practice efficacem iuris asserti aut denegati, secundum normam legis, et meritum subiecti». Singula breviter declaremus.

Est «facultas a suprema auctoritate descendens» : iudex enim iuxta omnes, est magistratus publica auctoritate instructus, non merus arbiter, qui eligitur ex voluntate partium.

«Ad ferendam sententiam practice efficacem» : sc., non mere speculative dirigentem aut declarantem : secus esset merus consultor, opinionem suam proponens, non verus iudex auctoritative ferens sententiam.

«Iuris asserti aut denegati» : sc., potestas iudicialis respicit duos terminos contrarios, et in sui exercitio ad alterutrum flectitur per sententiam : ad hoc enim, iuxta omnes, instituta est potestas iudicialis, ut causas civium decidat, sive in favorem sive in detrimentum eius de quo agitur, et ideo non per merum usum aut non usum potestatis, sed per usum potestatis quae se habet ad duo contraria.

«Secundum normam legis» : secus ageretur de mero arbitro, qui decidit ex mera aequitate.

«Et meritum subiecti» : secus non ageretur de *iudicio*, quod respicit *iustitiam*, sed mero beneficio, quod ex mera misericordia procedit.

QUO SENSU POTESTAS DE QUA AGIMUS SIT IUDICIALIS. *Dicimus*, potestatem remittendi et retinendi peccata, de qua egimus in thesibus praecedentibus, esse vere iudicialem, seu adimplere definitionem potestatis iudicialis, quam dedimus, quaeque, iuxta omnes, continet omnes notas essentiales eiusdem.

Non tamen negamus, multiplex esse discrimen inter potestatem de qua agimus et potestatem iudicialem forensem. Haec autem discrimina praesertim sunt tria :

1.° Iudex forensis, quando absolvit aliquem, non facit eum intrinsecus iustum, sed ipsum tantum extrinsecus tale declarat ; e contra iudex, de quo agimus, cum hominem ab-

solvit, (ut patebit ex thesi sequenti) vere iustum facit intrinsecus.

2.° Iudex forensis in causis criminalibus primario fine instituitur ad puniendum sive damnandum ; e contra iudex, de quo agimus, primario est institutus ad remittendum. Ratio autem diversitatis stat in eo quod iudex forensis est ad tuendum bonum publicum, quod primario per punitionem criminum obtinetur ; dum iudex noster est ad procurandum bonum privatum, quod habetur praecipue per remissionem peccatorum.

3.° Hinc sequitur, inverso modo procedere utrumque iudicium. Iudex forensis, qui positus est primario ad damnandum, v. gr. ad mortem, tantum affert reo aliquid simpliciter novum, quando fert sententiam damnationis : siquidem quando absolvit, seu fert sententiam non-damnationis, hoc tantum edicit, *servandum* esse huic homini ius ad vitam *quod habebat*. E contra iudex noster, qui positus est primario ad remittendum, tantum affert homini aliquod beneficium simpliciter novum, quando remittit : siquidem quando retinet, seu fert sententiam non-remissionis, hoc tantum edicit, *retinendum* esse huic homini peccatum *quod habebat*.

II. ADV. Protestantes, consequenter ad suam doctrinam de iustificatione (quam exposuimus in thesi I), etiam huic thesi omnino adversantur.

III. CENS. De fide definita in D 895, in., 899 in., 902, fin., 919.

ARGUMENTA

PROB. I. SCRIPT. Nota. Ex his quae indicavimus in thesi praecedenti, patet nos posse uti ad rem nostram non solum Io. 20, 21-23, sed etiam Mt. 16, 19 et 18, 18.

Potestas iudicialis est «facultas a suprema auctoritate descendens, ad ferendam sententiam practice efficacem iuris asserti aut denegati, secundum normam legis et meritum subiecti. Atqui potestas remittendi et retinendi peccata, de qua egimus in thesibus praecedentibus, est huiusmodi. E.

Mai. admittitur et patet ex dictis.

Min. prob. Potestas remittendi et retinendi peccata, de qua agimus, *est «facultas a suprema auctoritate descendens»* : ipse enim Christus expresse dicit : «Sicut misit me Pater, et

ego mitto vos... quorum remiseritis peccata, remittuntur eis...»

Est «ad ferendam sententiam practice efficacem» : nam, ut probavimus in thesi prima, Ecclesia non mere declarat, Deum remittere peccata, sed vere ipsa remittit, sive sententia ipsius vere efficit quod significat ; hoc autem est quod intelligimus nomine sententiae practice efficacis.

Est «iuris asserti aut denegati», sc., haec potestas respicit duos terminos contrarios, et in sui exercitio ad alterutrum flectitur per sententiam : nam Christus alio modo dedit potestatem, v. gr., baptizandi, cum dixit : «Baptizantes eos...», (Mt. 28, 19), et alio prorsus diverso potestatem hanc de qua agimus, dicens : «Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, *et* quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo», ac similiter : «Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, *et* quorum retinueritis, retenta sunt» ; ubi manifeste significat : 1.° hanc potestatem respicere duos terminos contrarios, sc., *alligare et solvere, remittere ac retinere* (verbum graecum κρατεῖν, significantius adhuc exprimit quid positivum, sc., dominari, vincere, sub sua retinere potestate) — 2.° utrumque hunc actum (ligandi, sc., et solvendi, remittendi ac retinendi) intrinsecus pertinere ad exercitium huius potestatis : eodem enim modo utrumque proponitur — 3.° hanc potestatem flecti ad unum aut alterum terminum per sententiam : nam expresse dicitur, peccatum fore remissum aut retentum, prout ad unum aut alterum ex his duobus terminis flectatur sententia.

Est exercenda «secundum normam legis et meritum subiecti» : nam Christus, qui dedit hanc potestatem, ipse voluit ut in regno suo, Ecclesia, lex vigeret universalissima non remittendi peccatum nisi paenitenti, nec (praeter Baptismum) remittendi omnino quoad poenam nisi satisfacienti (ut postea probabimus). Ergo, nisi contrarium positive ostendatur (quod hic non fit), dicendum est, Christum velle ut potestas haec exerceatur secundum hanc legem et subiecti meritum iuxta illam.

PROB. II. TRAD. Clarum est in scriptis Patrum, iam ab initio fuisse in Ecclesia verum tribunal, in quo de remissione aut retentione peccatorum iudicaretur. Sint in specimen, ut huius veritatis testes, Tertullianus, Didascalia, Hilarius et Chrysostomus.

Tertullianus describens in Apologetico (a. 197) coetum christianorum, dicit : «Coimus in coetum... oramus... Ibidem

etiam exhortationes, castigationes et censura divina : nam et *iudicatur magno cum pondere,* ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur» (Apol., 39 ; Rauschen, 110 ; ML 1, 532).

Didascalia Apostolorum (saec. III. Cf. Funk, Didascalia, vol. I, pag. V[1]) episcopum admonet ut consideret sui gradus excellentiam, «*potestatem habens iudicare pro Deo eos qui peccaverunt:* quonian vobis episcopis dictum est per Evangelium : quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelo. *Iudica* igitur, episcope, *cum potestate ut Deus,* sed paenitentes suscipe cum caritate, sicut Deus... quia Dominus Deus cum iuramento promisit peccatoribus se veniam daturum esse» (Didasc. 11, 2-12, 1 ; Funk, 46-48).

Hilarius Pictaviensis in Commentario in Matthaeum (a. 353-355) : «Ad terrorem autem metus maximi, quo in praesens omnes continerentur, immobile *severitatis apostolicae iudicium* praemisit : ut quos in terris ligaverint... et quos solverint... hi *apostolicae conditione sententiae,* in caelis quoque aut soluti sint aut ligati» (In Matth. 18, 8 ; ML 9, 1021).

Iohannes Chrysostomus (Homil. 5 in Isaiam, scripta, ut videtur, circa annum 388. Cf. MG 56, 96, in.) : «Si vis videre discrimen quantum sit regem inter et sacerdotem, expende modum potestatis utrique traditae, videbis sacerdotem multo sublimius rege sedentem... Rerum terrenarum administrationem sortitus rex est... verum sacerdotii solium in caelis collocatum est, et caelestia administrandi habet auctoritatem. Quis haec dicit? Ipse caelorum Rex : quaecumque enim ligaveritis... Quid cum hoc honore conferri possit? A terra principium iudicii sumit caelum : nam *iudex sedet in terra,* Dominus sequitur servum, et *quidquid hic in inferioribus iudicarit,* hoc ille in supernis comprobat» (Hom. 5 in Is. 1 ; MG 56, 130, fin.—131, in.).

TH. V. *Ergo exsistit sacramentum Paenitentiae.*

PRAENOTANDA

I. DECL. Stabilita in thesibus praecedentibus potestate remittendi peccata, eiusque indole ac natura iudiciali, pervenire iam possumus ad illud quod est in tota hac sectione praecipuum : exsistentiam sacramenti Paenitentiae.

Ut autem a quaestione de ipsius essentia, quam in sectione sequenti tractabimus, praescindamus, *sacramentum Paenitentiae* intelligimus illud quod catholici omnes, adversariis ipsis fatentibus, hac voce intelligunt, sc., signum sensibile, efficax gratiae, perenniter institutum, quo per potestatem clavium peccata remittuntur, quodque a Baptismo distinguitur.

Huius autem exsistentiam hac thesi probamus, et quidem his, quae in thesibus quae praecedunt ostendimus, innitentes.

II. ADV. Protestantes, qui thesibus praecedentibus adversantur, clarum est adversari etiam huic thesi (V. Ht^2 9, n. 7).

III. CENS. De fide definita in D 911, 912.

ARGUMENTA

PROB. Exsistit signum sensibile, efficax gratiae, perenniter institutum, quo per potestatem clavium peccata remittuntur, quodque a Baptismo distinguitur. Atqui hoc est sacramentum Paenitentiae. Ergo exsistit sacramentum Paenitentiae.

PROB. MAI. QUOAD 1.^{am} PARTEM, SC. «Exsistit... remittuntur». Exsistit exercitium quo per potestatem clavium peccata remittuntur (patet ex thesibus praecedentibus) quodque est signum sensibile, efficax gratiae, perenniter institutum. *Prob.* per partes:

Est signum sensibile. Christus, qui hanc potestatem dedit hominibus, simul voluit ut ea exerceretur modo quem fert natura hominis (patet: nam secus omnino indicasset contrarium). Atqui natura hominis fert ut potestas remittendi peccata exerceatur signo aliquo sensibili (fert enim natura hominis ut ipse possit cognoscere remissionem quae datur; nequit autem nisi signo sensibili, quod exprimat illud quod confertur). Ergo exercitium quo per potestatem clavium peccata remittuntur est signum sensibile.—Traditionis testimonio hoc etiam indubitate apparet in thesibus praecedentibus.

Est efficax gratiae. Exercitium quo per potestatem clavium peccata remittuntur vere est efficax remissionis peccatorum, et quidem quoad culpam (patet ex thesibus I et II). Atqui remissio peccatorum non fit nisi per gratiam (Cf. De

sacram, in gen., thes. III et V). Ergo exercitium quo per potestatem clavium peccata remittuntur est efficax gratiae.— Hanc efficacitatem esse *ex opere operato,* patet ex eo quod, tum in Scriptura tum in Traditione (locis adductis in thes. I et II), remissio peccatorum tribuitur ipsi exercitio potestatis clavium, nullo modo fidei aut alicui alii dispositioni. Ergo, nisi contrarium positive probetur, dicendum est, remissionem peccatorum, et ideo collationem gratiae, fieri vi ipsius exercitii potestatis clavium, sive ex opere operato.

Est perenniter institutum. Exercitium remittendi peccata per potestatem clavium est institutum pro toto illo tempore, quo Ecclesia indigeat tali remissione (patet, hoc esse dicendum, nisi contrarium positive probetur). Atqui Ecclesia semper, usque ad consummationem saeculi, indigebit tali remissione (nimis patet ex experientia omnium saeculorum). Ergo exercitium remittendi peccata, pro toto hoc tempore, sive perenniter, est institutum.

Prob. mai quoad 2.am partem, sc., *signum sensibile supra dictum a Baptismo distinguitur.* Signum sensibile supra dictum est iudicium. Atqui Baptismus non est iudicium. E. (Cf. D 895).

Mai. patet: nam signum sensibile supra dictum est exercitium potestatis quam in thesi praecedenti probavimus esse iudicialem. Atqui exercitium potestatis iudicialis est iudicium. Ergo signum sensibile supra dictum est iudicium.

Min prob. Iudicium nequit exerceri nisi in subditos (patet ex notione iudicii, quo *auctoritative* fertur sententia. (Cf. th. IV, in. et D 895). Atqui Baptismus non exercetur in subditos (est enim sacramentum *ingressus in Ecclesiam,* et ideo *tantum pro his qui nondum sunt subditi,* ut tales fiant, ut patet ex tractatu de Baptismo. Cf. D 895). Ergo Baptismus non est iudicium.

SECTIO II

ESSENTIA SACRAMENTI PAENITENTIAE

TH. VI. *Sacramentum Paenitentiae componitur ex actibus paenitentis ut materia, et verbis absolutionis ut forma.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Sacramentum Paenitentiae» : illud, sc., cuius exsistentiam nuper probavimus.

«Componitur» : sc., constat ex hac materia et forma, ut *ex veris partibus* sacramenti constitutivis. Aliis verbis : actus paenitentis et verba absolutionis non sunt *merae conditiones,* sine quibus non detur sacramentum, sed *verae causae* intrinsecae sacramenti.

«Ex actibus paenitentis». Sunt quidem hi actus contritio, confessio et satisfactio, sed hoc loco non intendimus agere de singulis in specie (hoc enim commodius agemus in altera Tractatus parte), sed de omnibus in genere, quatenus (ut ibi amplius declarabimus, et omnes admittunt) constituunt partem illam processus iudicialis sacramentalis, quae in processu iudiciali forensi consistit in allegationibus, ceterisque actibus talis processus, quibus iudici causa subicitur. SUPPONIMUS etiam (ex ibi tradendis) hos tres actus, et quidem sensibiliter expressos, necessario requiri ad integritatem sacramenti ; aliter tamen et aliter : nam contritionem quidem et confessionem ita requiri supponimus, ut sine illis, aut earum alterutra, non detur sacramentum ; satisfactionem vero tantum ita, ut sine illa sacramentum non sit integrum.

«Ut materia». Dicimus, hos tres actus componere *materiam* sacramenti, seu, illam partem signi sacramentalis, quae, in ratione signi, est minus determinata, et in hac ratione completur a forma.

«Et verbis absolutionis ut forma». *Supposito* (ex altera parte Tractatus), sine verbis absolutionis non dari sacramentum Paenitentiae, dicimus haec verba non esse meram condi-

tionem sine qua non, sed veram causam intrinsecam sacramenti, et quidem *formalem*, sc., quae in ratione signi sacramentalis, est magis determinata, materiamque determinat.

II. ADV. Praecipui saltem, adversarii sunt Scotistae, qui, etsi post Concilium Tridentinum, iam non crude dicant cum Scoto: «Ista tria (contritio, confessio et satisfactio) *nullo modo sunt partes eius*, quia, ut dictum est, Paenitentia sacramentum est illa absolutio sacramentalis facta certis verbis» (In 4, d. 16, q. 1, n. 7; ed. Vives, t. 18, 421), negant tamen, actus paenitentis esse *veras et proprie dictas partes, veram et proprie dictam materiam* sacramenti, sed dicunt, solummodo *ita vocari*, quia necessario requiruntur ut habeatur sacramentum. Unde, iuxta Scotistas, sacramentum Paenitentiae consistit in sola absolutione.

E contra Soto tribuitur sententia, secundum quam, Paenitentiae sacramentum consisteret in solis actibus paenitentis.

Communior vero sententia theologorum, cum S. Thoma et Suárez, ex utroque dicit componi sacramentum.

Nota. Non est huius loci refutare singularem assertionem Ballerini, qui, ulterius procedens, quam Scotistae, ausus est dicere, posse aliquando dari sacramentum Paenitentiae sine ulla prorsus confessione, imo cum contritione mere latente, quae nullo prorsus modo fiat sensibilis: diximus, enim, nos nunc supponere necessitatem horum actuum, et quidem sensibiliter expressorum.

III. CENS. Probabilior.

ARGUMENTA

PROB. I. EX TRIDENTINO. Concilium Tridentinum ita loquitur (D 896): «Docet praeterea sancta Synodus, sacramenti Paenitentiae *formam, in qua praecipue ipsius vis sita est*, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc... Sunt autem quasi *materia* huius sacramenti ipsius paenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio, qui *quatenus in paenitente ad integritatem sacramenti*, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione *requiruntur*, hac ratione *Paenitentiae partes* dicuntur». Et paulo ante (D 895) dixerat, sacramentum Paenitentiae differre a Baptismo «*materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur*». Unde: Si haec verba intelligenda sunt

sensu proprio, sacramentum Paenitentiae componitur ex actibus paenitentis ut materia, et verbis absolutionis ut forma. Atqui haec verba intelligenda sunt sensu proprio (proprietate qua intelliguntur in ceteris sacramentis, versante, sc., in eo quod haec materia et forma sint verae et propriae partes sacramenti constitutivae. Cf. thesim II de sacramentis in genere, p. 12). E.

MAI. admittitur et patet. Ideo adversarii toti sunt in tollenda proprietate sermonis. Sic, v. gr., Frassen (Scotus Academicus, t. 10, 304) dicit, iuxta Concilium, «tres illos paenitentis actus *non esse proprie materiam* ex qua componatur et constituatur essentialiter sacramentum Paenitentiae». Ballerini (Ballerini-Palmieri, Opus Morale, t. 5, 3, fin.) negat «actus paenitentis constituere *presso sensu materiam* sacramenti». Et, iuxta Minges (Comp. Theol.[2], pars II, 234), «non nisi absolutio esse videtur de essentia *in sensu stricto vel proprie*, actus autem paenitentis non nisi *minus proprie*».

MIN. PROB. Verba Conciliorum intelligenda sunt sensu proprio, nisi tropus positive ostendatur (admittitur et patet). Atqui hic tropus non modo positive non ostenditur, sed etiam positive excluditur. Ergo haec verba intelligenda sunt sensu proprio.

MIN. ULTIMA. *Tropum hoc loco positive non ostendi, prob.* Si ex aliquo capite ostenderetur, certe ex illo esset, quod Concilium vocet actus paenitentis *quasi materiam*. Atqui ex hoc non ostenditur : nam a) Catechismus ipsius Concilii Tridentini, testis omni exceptione maior ad Concilii mentem ostendendam, expresse declarat : «*Neque vero hi actus quasi materia a sancta Synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant*, sed quia eius generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et chrisma in Confirmatione» (Pars 2, cap. 5, n. 13 ; ed. 3 Taurin., pagina 241). — Et b) Vox haec «quasi materia» desumpta est ex decreto pro Armenis (D 699), quod fere ad litteram descriptum est ex opusculo S. Thomae «De articulis fidei et Ecclesiae sacramentis» (S. Thom. opera omnia, ed. Vives, t. 27, 180). Atqui S. Thomas hac voce intelligebat materiam proprie dictam (ut patet, v. gr., ex toto hoc loco Summae, speciatim ex q. 84, a. 1, ad 1, ubi expresse ait : actus paenitentis «ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in Baptismo vel chrisma in Confirmatione», et paulo post contraponit hos actus Paenitentiae actibus aliorum sacramentorum (praeter Matrimonium), in quibus actus humani «non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositive se habent ad sacramenta»). Ergo,

*

nisi contrarium positive ostendatur, dicendum est, Concilium eodem sensu hanc vocem accepisse.

Tropum hoc loco positive excludi, prob. Non solum cum philosophice loquimur, sed etiam in communi modo loquendi hominum, quando agimus de *materia et forma* alicuius compositi, quando aliquid dicimus requiri *ad integritatem ipsius,* numquam intelligimus praerequisitum aliquod aut conditionem ad hoc ut habeatur illud compositum, sed ipsas partes eius constitutivas (Sic materiam et formam statuae marmoreae dicimus esse marmor et figuram, numquam vero basim ipsius). Atqui Tridentinum dicit, actus paenitentis et absolutionem esse *materiam et formam Paenitentiae,* illosque requiri *ad integritatem sacramenti.* Ergo nequit hoc loco Tridentinum haec verba accipere ad exprimenda praerequisita aliqua aut conditiones, seu sensu improprio.

Confirm. Iuxta Tridentinum (D 896), sacramenti Paenitentiae vis, seu efficacia, sita est *praecipue* in forma. Ergo etiam in actibus paenitentis, sive in materia, invenitur efficacia sacramenti. Atqui talis efficacia non invenitur in meris conditionibus. Ergo actus paenitentis non sunt merae conditiones, sed verae causae intrinsecae sacramenti.

PROB. II. RATIONE. Sacramentum Paenitentiae est iudicium. Atqui a) iudicium componitur ex parte illa processus iudicialis, qua iudici causa subicitur, et ex sententia iudicis, ac b) pars illa manet, in significatione iuridica, indeterminata, donec per sententiam iudicis determinetur. Ergo sacramentum Paenitentiae componitur ex actibus paenitentis ut materia (sc. ut parte in significatione sacramentali indeterminata), et verbis absolutionis ut forma (sc., ut parte in eadem significatione determinante).

Mai. constat ex nuper dictis (pag. 21), et ab adversariis omnino admittitur.

Min. prob. quoad a). Iudicium est «causae legitima disceptatio et per sententiam definitio» (Ferreres, Inst. Can.[2], II, 226, n. 523). Qua definitione nihil aliud fit, nisi traditur definitio quae omnino supponitur in can. 1552, quae iam ante Codicem tradebatur (Cf. Wernz, Ius Decretalium, V, 65), quae denique plane refert communem modum intelligendi hominum, qui sententiam habent ut terminum iudicii, ipsumque iudicium inceptum dicunt, cum incepta est legitima disceptatio causae, et illos qui huic disceptationi assistunt, iudicio dicunt assistere (Cf. can. 1649, § 2). Ergo iudicium componitur ex causae legitima disceptatione, seu, quod idem

est, ex parte illa processus iudicialis, qua iudici causa subicitur, et ex sententia iudicis.

Min. prob. quoad b). Pars illa processus iudicialis, qua iudici causa subicitur, ostendit quidem an reus sit absolutione dignus, necne ; manet tamen, in significatione ista, indeterminata, donec per sententiam iudicis firmetur atque determinetur : tunc enim, et tunc solum, plene ac iuridice declaratur, reum esse, aut non esse, absolutione dignum.

SECTIO III

NECESSITAS SACRAMENTI PAENITENTIAE

TH. VII. *Sacramentum Paenitentiae lapsis post Baptismum necessarium est ad salutem necessitate medii in re vel in voto.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Sacramentum Paenitentiae» : illud, sc., cuius exsistentiam probabimus in thesi V.

«Lapsis post Baptismum» : illis, sc., qui in peccatum mortale inciderunt post Baptismum.

«Necessarium est ad salutem necessitate medii» : sc., est medium, sine quo salus obtineri non potest. Necessarium necessitate medii contraponitur necessario mera necessitate praecepti ; ita autem vocatur illud quod est necessarium ad salutem, tantum quia praeceptum est sub gravi, non ex eo quod sit *medium,* seu via, unice conducens ad salutem, sed tantum quia, si quis illud non facit, peccabit mortaliter et peccatum mortale est *obstaculum salutis:* v. gr., quod quis abstineat a carnibus tali die, non ideo est necessarium ad salutem, quod hoc sit via unica salutis adispiscendae, sed quia secus (supposito praecepto sub gravi), quis peccabit mortaliter, ponetque sibi obstaculum ad salutem (Cf. Lu De Euch., d. 23, s. 1, praesertim nn. 1, 2, 23, 24, 28 ; t. 3, 510-516. Ht² 78-79).

«In re vel in voto». Non contendimus, sacramentum Paenitentiae esse adeo necessarium, ut si quis nequeat illud *in re,* sive in seipso, recipere, iam eo ipso excidat a salute : admittimus enim sufficere, in hoc casu, ut suscipiatur sacramentum *in voto,* sc., ut eliciatur actus caritatis, seu perfectae contritionis, *cum voto,* seu desiderio, sacramentum reipsa suscipiendi, cum fieri possit et debeat ; hoc autem desiderium non est necesse ut sit explicitum : includitur enim in omni actu caritatis, vel perfectae contritionis, in

voluntate sc. servandi omnia praecepta et adhibendi omnia media necessaria ad salutem.

II. ADV. Adversantur omnino huic thesi protestantes, ut patet (Cf. dicta in th. I).

III. CENS. Sacramentum Paenitentiae lapsis post Baptismum *esse necessarium* ad salutem, est de fide definitum in D. 916, ubi Concilium definiens, confessionem *sacramentalem* esse necessariam, simul definit, necessarium esse sacramentum. D. 895 fin Cf. 861.

Necessitatem hanc esse praecise necessitatem *medii*, non tantum praecepti, non exprimit Tridentinum. Cum autem Concilium videatur nihil amplius velle definire circa sacramentum Paenitentiae, quam circa Baptismum (D 895, fin.), circa Baptismum vero videatur noluisse definire necessitatem medii, ne damnaret Caietanum (Cf. S I, 227, Schol. 1, 1): hinc non contendimus, quoad huiusmodi necessitatem, thesim esse de fide, sed dicimus, saltem esse certam theologice.

Hanc denique ultimam censuram thesi etiam tribuimus, quatenus dicit, sufficere sacramentum *in re vel in voto* (ut apparebit ex dicendis de contritione).

ARGUMENTA

Nota. Quoniam in thesi de efficacia contritionis perfectae probabimus, hanc contritionem iustificare ante sacramenti susceptionem, et nuper notavimus, hanc iustificationem non haberi sine voto sacramenti, et hoc esse quod vocamus *iustificari per sacramentum in voto*, iam non est amplius probandum, iustificationem (et ideo salutem) posse haberi per sacramentum in voto tantum susceptum, et ideo, omissis illis verbis enuntiati theseos: «in re vel in voto», sufficit in praesentia ut tantum reliqua demonstremus.

PROB. I. EX SCRIPT. Lapsis post Baptismum illud est necessarium necessitate medii ad salutem, quod est medium, independenter a quo nequit obtineri remissio peccatorum. Atqui sacramentum Paenitentiae lapsis post Baptismum est medium, independenter a quo nequit obtineri remissio peccatorum. Ergo sacramentum Paenitentiae lapsis post Baptismum est necesarium necessitate medii ad salutem.

Mai. patet tum ex definitione necessarii necessitate medii,

tum ex eo quod sine remissione peccatorum nequit (ut supponimus) salus obtineri.

MIN. *Sacramentum Paenitentiae lapsis post Baptismum esse medium ad remissionem peccatorum,* patet manifeste ex sectione I.

Hoc medium ita esse institutum, ut independenter ab illo nequeat obtineri remissio peccatorum, prob. Christus ita hoc medium instituit, ut daret Ecclesiae potestatem peccata non solum remittendi, sed etiam vere, seu efficaciter, *retinendi.* Atqui si independenter ab hoc medio posset obtineri remissio peccatorum, Christus non dedisset Ecclesiae potestatem peccata vere, seu efficaciter, *retinendi.* Ergo hoc medium ita est institutum, ut independenter ab illo nequeat obtineri remissio peccatorum.

MAI. ULTIMA patet ex sectione I. Imo efficacitas potestatis clavium speciali modo significata videtur quoad retentionem peccatorum : nam non dicit Christus : «Et quorum retinueritis, *retinentur*», sed : «Et quorum retinueritis *retenta sunt,* κεκράτηνται», quod, utpote positum in praeterito perfecto, speciali emphasi denotat effectus permanentiam et immobilitatem, quasi diceret : «Et quorum retinueritis, *retenta permanebunt*».

MIN. ULTIMA PROB. *Retinere* peccatum est facere ut peccatum maneat coram Deo. Atqui si independenter ab hoc medio posset obtineri remissio peccatorum, Ecclesia non posset efficaciter facere ut peccatum maneret coram Deo : siquidem alia via, sive independenter ab Ecclesia, peccatum tolli posset. Ergo si independenter ab hoc medio posset obtineri remissio peccatorum, Christus non dedisset Ecclesiae potestatem peccata vere, seu efficaciter, *retinendi.* — Hoc etiam patet ex vi metaphorae *potestatis clavium:* si enim independenter ab Ecclesia posset obtineri remissio peccatorum, seu, quod idem est, si quod Ecclesia clausisset, independenter ab illa posset aperiri, falso diceretur manere clausum illud omne quod Ecclesia clauderet, falso ipsi Christus tribueret *clavium potestatem.*

NEC DICI POTEST, Christum ita instituisse hoc sacramentum, ut *tantum illi qui vellent* suscipere illud, iam non possent independenter ab eo obtinere remissionem peccatorum. NAM talis esset haec institutio, ut ex se ipsa deterreret homines a sacramento suscipiendo : *nemo* enim *vellet* sibi adimere libertatem utendi alio vel aliis mediis ad accipiendam remissionem peccatorum.

PROB. II. TRAD. Multa quidem afferri possunt, quibus clare patet, Ecclesiam necessitatem sacramenti, quam asserimus, semper tenuisse (Cf. Gl 247-283. D'Al 84-108); sed, brevitatis causa, et quia plura, utpote directius de confessione agentia, commodius afferemus in thesi de necessitate confessionis, quattuor tantum testimonia in specimen seligemus: Tertulliani, Origenis, Paciani et Leonis Magni.

Tertullianus: «Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur! Videlicet, si quid humanae notitiae subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparatur? *An melius est damnatum latere quam palam absolvi?* (R 316; De Paenitentia, 10). Ubi lapsis post Baptismum (de his enim incipit loqui a capite 7), omnino necessariam dicit absolutionem, et quidem quae supponat confessionem homini factam; hanc autem esse necessitatem medii, vivide ob oculos ponit appellans hanc Paenitentiam, *alteram post naufragium plancam,* seu tabulam (Cf. ibid., seu De Paenitentia, 12, 9 et 4, 2; ed. Labriolle, 50 et 16), et *medicinam, sine qua salus nequeat obtineri* (Cf. De Paenitentia, 10, 1; R 316).

Origenes: «Si... revelaverimus peccata nostra *non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis,* delebuntur peccata nostra...» (R 477; In Lucam homiliae, 17), et clarius, quoad necessitatem: «Si ipsi nostri simus accusatores, proficit nobis ad salutem; si vero exspectemus ut a diabolo accusemur, accusatio illa cedit nobis ad poenam: *habebit enim socios in gehenna, quos convicerit criminum socios*» (R 494, etsi desunt ultima verba (quae sunt praecipua); In Leviticum homiliae, 3, 4). Origenem vero loqui de necessitate medii, patet ex eo quod tum ex loco prius citato, tum ex aliis pluribus (Cf. S II, 164, fin.), Paenitentiam habet ut *medicinam, sine qua salus obtineri non potest.*

Pacianus: «Quid facies tu qui decipis sacerdotem?... Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, *desinite vulneratam tegere conscientiam.* Prudentes aegri medicos non verentur... *Peccator erubescet perpetuam vitam praesenti pudore mercari?* et offerenti manus Domino, vulnera male tecta subducet?» (Paerenesis ad Paenitentiam, 8; ML 13, 1086). Ubi, cum habeat Paenitentiam ut *medicinam, sine qua salus obtineri non possit,* medii necessitatem clare significat.

Leo M.: «Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam

per Paenitentiae medicinam spes vitae repararetur aeternae, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent : *sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri*» (D 146 ; Epistola 108, 2). Ubi etiam patet medii necessitas : habet enim Paenitentiam ut *medicinam et praesidium, sive medium, sine quo Dei indulgentia nequeat obtineri.*

PARS II

DE PAENITENTIAE SACRAMENTO IN SPECIE

SECTIO I

MATERIA SACRAMENTI PAENITENTIAE

Quoniam materia sacramenti Paenitentiae consistit in actibus paenitentis (ut probavimus in thesi VI), hi autem sunt (ut ex dicendis patebit) contritio, confessio et satisfactio, ex ordine de singulis est agendum.

CAPUT I

DE CONTRITIONE

Dicemus, primo quidem de contritione in genere, sive de paenitentia (ut est actus virtutis), deinde vero de contritione in specie, sive de singulis eius speciebus, perfecta, scilicet, et imperfecta.

TH. VIII. *Paenitentia lapsis in peccatum mortale personale est necessaria necessitate medii ad salutem.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Paenitentia» : sc., detestatio dolorosa peccati commissi, cum proposito non peccandi de cetero (Cf. D 894, 897, et S 103, fin. — 106, II).

«Lapsis in peccatum mortale personale» : unde nec agimus de peccato veniali, nec de originali.

«Est necessaria necessitate medii ad salutem» : sc., est medium, sine quo salus obtineri non potest. Necessarium necessitate medii (praeter ea quae diximus in th. VII) etiam in hoc

distinguitur a necessario mera necessitate praecepti, quod sine illo, *etiam inculpabiliter omisso,* salus obtineri non potest. — NON QUIDEM DICIMUS, *nec de potentia absoluta* posse obtineri salutem sine paenitentia, sed contendimus, *Deum ita statuisse,* ut paenitentia sit medium, sine quo salus obtineri non possit. — NEC PRAETEREA ASSERIMUS, paenitentiam adeo in se ipsam esse necessariam, ut neque suppleri possit per actum perfectum caritatis (quem aliunde scimus statim iustificare) ; sed notamus, talem actum (virtualiter, saltem, aut implicite) paenitentiam includere : qui enim Deum super omnia diligit amore perfecto, simul (virtute, saltem, aut implicite) detestatur, eique displicet, quidquid huic amori plane opponitur, ut est mortale peccatum. Hoc sensu dici potest, ipsam formalem paenitentiam, tantum esse necessariam *in re vel in voto:* quatenus, videlicet, paenitentia formalis suppleri potest per virtualem, seu caritatem, quae, et formalem continet modo dicto, et *votum* eius includit, seu desiderium eliciendi formalem paenitentiam, cum opus sit.

II. ADV. Protestantes necessitati paenitentiae, sensu catholico intellectae, (imo ipsius utilitati ac bonitati) totis viribus adversantur (Cf. Gl 7-12 et 29).

III. CENS. Necessitas paenitentiae est de fide definita in D 894 et 897. Necessitatem hanc esse praecise necessitatem *medii,* non determinat Tridentinum ; tradimus autem ut certum theologice, ut patebit ex argumentis.

ARGUMENTA

PROB. I EX SCRIPT. NOTA. Lutherus tenuit, paenitentiam, quam Scriptura commendat, non importare detestationem dolorosam peccati commissi, sed tantum mutationem consilii, sive novam vitam aut propositum non peccandi de cetero. Multis quidem ostendi posset, hanc sententiam prorsus adversari Scripturae (Cf. S 1-7. Gl 15-17) ; nos tamen, brevitatis causa, hic tantum breviter ostendemus, in prophetia Ezechielis, unde argumentum desumimus, Scripturam loqui de paenitentia quae detestationem dolorosam includit peccati commissi.

In Ez. 16 et 17, multus est Dominus in ponendo Iudaeis ob oculos peccata sua, ut ea abominentur : sic incipit prophetia : «Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis,

notas fac Ierusalem abominationes suas». In capite 18 multum insistit in eo quod agitur de peccatis propriis, sive a Iudaeis ipsis *commissis*. Post caput 19 (in quo carmen in regni ruinam continetur), iterum exaggerat Dominus *abominationes* (Cf. Ez. 20, 4 et 22, 3) a Iudaeis commissas, et tandem (20, 43), ita describit paenitentiam quam facturi sunt cum eos reduxerit in terram Israel : «*Recordabimini ibi viarum vestrarum et omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis, et displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris quas fecistis*» (Cf. 33, 25-26 et 36, 31-32). Iam vero ex his (et aliis plurimis, quae afferri possent) adeo manifeste apparet, paenitentiam, quam Scriptura commendat, importare detestationem dolorosam peccati commissi, ut ipsi Lutherani defendere non audeant ex integro Lutheri sententiam ; imo vehementer nobis succenseant, quod dicamus talia ipsum effudisse (Cf. Ht² 157, n. 127, et 13, n. 10).

Thesim probabimus primo pro Antiquo Testamento, deinde pro Novo.

Argumentum. I. Pro Antiquo Testamento. Necessarium necessitate medii ad salutem est illud quod est medium, sine quo salus obtineri non potest (admittitur et patet ex definitione). Atqui, iuxta Ezechielem, paenitentia lapsis in peccatum mortale personale est medium, sine quo salus obtineri non potest. E.

Min. prob. In Ez. 18, 20-23, haec dicit Dominus : «Anima quae peccaverit, ipsa morietur... iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum. *Si autem impius egerit paenitentiam* ab omnibus peccatis suis quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, *vita vivet et non morietur: omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor*, in iustitia sua quam operatus est vivet. *Numquid voluntatis meae est mors impii*, dicit Dominus Deus, *et non ut convertatur a viis suis et vivat?* Et 18, 30-32 : «*Convertimini et agite paenitentiam* ab omnibus iniquitatibus vestris, *et non erit vobis in ruinam iniquitas; proicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum, et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite*». Et 33, 8-11 : «*Si, me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur*, sanguinem autem eius de manu tua requiram... Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel : Sic locuti estis : Iniquitates nostrae et peccata nostra super

nos sunt... quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus, *nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat*». Iam vero, in his evidenter exhibetur paenitentia, ut dispositio, seu medium, sine quo lapsi in peccatum mortale personale (de his enim manifeste agitur) nequeant obtinere salutem; imo vero, hoc medium tale esse dicitur, ut sine illo, *etiam inculpabiliter omisso*, salus nequeat obtineri; quod quidem vividius adhuc proponitur (Ez. 33, 1-7) ex metaphora speculatoris, necessitatem medii penitus referente.

II. Pro Novo Testamento. Necessitatem paenitentiae, quam nuper probavimus pro Antiquo Testamento, valere etiam pro Novo, significat S. Petrus, cum (2 Petr. 3, 9), loquens pro christianis, ad quos scribebat, et manifeste alludens ad loca citata Ezechielis, pro eodem habet, «aliquos non perire», atque «eos ad paenitentiam reverti»: «Non tardat Dominus promissionem suam... sed patienter agit propter vos, *nolens aliquos perire, sed omnes ad paenitentiam reverti*».

Confirmatur ex praxi frequentissima tum antiquorum Prophetarum, tum S. Iohannis Baptistae, ipsius Christi et Apostolorum adhortandi instantissime peccatores ad paenitentiam, eamque requirendi ad remissionem peccatorum et salutem.

PROB. II. EX TRAD. Nota. Paenitentiam, ut ab Ecclesia, iam ab initio, intelligitur et exercetur, importare detestationem dolorosam peccati commissi, ne ipsi quidem protestantes audent negare (Cf. Gl 32).

Argumentum. Necessarium necessitate medii ad salutem est illud quod est medium, sine quo salus obtineri non potest. Atqui, iuxta Patres, paenitentia est medium, sine quo salus obtineri non potest. E.

Prob. Min. Patres saepe adhortari peccatores ad paenitentiam ut dispositionem, seu medium, sine quo remissio peccatorum et salus obtineri non possint, notum est. Sint in exemplum Tertullianus, Chrysostomus et Ambrosius.

Tertullianus plane in hunc finem, librum integrum scripsit «De Paenitentia», ubi, praeter alia, haec habet: «Eam (paenitentiam) tu peccator... ita invade, ita amplexare, *ut naufragus alicuius tabulae fidem: haec te, peccatorum fluctibus mersum, prolevabit, et in portum divinae clementiae protelabit... Quam porro ineptum, quam paenitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere: hoc est pretium non exhibere, ad mercem manum emittere! Hoc enim pretio*

Dominus veniam addicere instituit» (De Paen., 4 et 6; R 312-313).

Chrysostomus in eumdem finem Homilias novem scripsit de Paenitentia. «Quoties peccaveris, inquit, *peccati paeniteat*... Quamvis in extrema canitie peccaveris, ingredere, paenitentiam age: *medicinae* locus est hic, non iudicii... Cum haec sciamus, ac diem illum terribilem nobis reputemus, et ignem illum, et terribilem tormentorum locum in mentem accipiamus, *convertamus nos in posterum a via qua erravimus: veniet enim hora quando theatrum vitae huius solvetur... hoc tempus est paenitentiae, illud iudicii* (Homil. 3, 4 et 9; R. 1136 et 1138).

Ambrosius, qui etiam ad praedictum finem librum scripsit «De Paenitentia», Imperatori ipsi Theodosio dicere non veretur: «*Peccatum non tollitur nisi lacrymis et paenitentia*... Dominus ipse... si peccaverimus, *nisi paenitentiam deferentibus non relaxat*» (Ep. 51, 11; ML 16, 1212).

CONFIRM. RATIONE. Peccatum mortale est offensa Dei. Atqui rectae rationi plane consentaneum est, ut servo dominus remissionem deneget, nisi, ut dispositionem, afferat saltem detestationem dolorosam offensae commissae, cum proposito non amplius offendendi. Ergo rectae rationi omnino congruit, ut paenitentia sit medium sine quo remissio, et ideo salus, obtineri non possit.

TH. IX. *Contritio caritate perfecta semper peccatorem Deo reconciliat ante actualem sacramenti susceptionem.*

PRAENOTANDA

I. DECL. Postquam egimus de contritione in genere, ad singulas eius species descendimus. Primo igitur de contritione perfecta, in duabus thesibus quae sequuntur, tum de imperfecta, in duabus reliquis, est agendum.

«Contritio»: sc., paenitentia, seu detestatio dolorosa peccati commissi, cum proposito non peccandi de cetero (Cf. D 894, 897).

«Caritate perfecta»: sc., quae perfecta est ex eo quod procedat ex amore perfecto caritatis, seu quae habet pro motivo Deum, ut in se bonum, super omnia dilectum. — Dupliciter potest intelligi, Deum diligi super omnia: appre-

tiative, sc., et intensive. *Deum diligi super omnia appretiative,* stat in eo quod actus voluntatis, respondens iudicio intellectus de ipsius Dei excellentia, Eum rebus omnibus anteponat, et ideo vi huius actus, malit homo relinquere omnia bona aut amplecti omnia mala, potius quam Deum offendere. *Deum diligi super omnia intensive,* stat in eo quod Deus diligatur maiore intensitate, sive maiore conatu aut vehementia, quam quodlibet aliud bonum. Perfectio igitur, quam hic requirimus in amore caritatis, non consistit in excessu intensivo, sed in appretiativo (Cf. S. 106 fin. et 112, Schol. 3).

«Semper» : sc., non tantum in casu necessitatis, martyrii, etc.

«Peccatorem Deo reconciliat» : sc., eum, qui propter peccatum versabatur in statu inimicitiae divinae, reddit ad Dei gratiam seu amicitiam (Cf. de notione gratiae, ea quae diximus in thes. III et V de sacram. in gen.).

«Ante actualem sacramenti susceptionem» : sc., antequam quis recipiat sacramentum *in re;* non tamen, antequam illud recipiat *in voto:* etenim (ut notavimus in th. VII pro sacramento Paenitentiae, idemque esset dicendum pro sacramento Baptismi) contritio caritate perfecta, in Nova Lege, necessario includit votum suscipiendi sacramentum, et hoc est quod vocamus *iustificari per sacramentum in voto* (Cf. S 101, Schol.).

II. ADV. Adversarii sunt duplicis generis. Alii enim dicunt, contritionem, de qua loquimur, *nunquam* iustificare, sunt autem protestantes; alii vero admittunt quidem hanc contritionem aliquando iustificare ante actualem sacramenti susceptionem, negant tamen, eam iustificare *semper,* sed dicunt, id tantum aliquando contingere, v. gr. in casu necessitatis, ut in articulo mortis, quando nullo modo suscipi potest sacramentum, in casu martyrii : hi autem sunt Baius, Jansenius et aliqui eorum sectatores.

III. CENS. Certa theologice, ut patebit ex argumentis.

ARGUMENTA

PROB. I EX TRID. «Docet praeterea (sancta Synodus), etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem

ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam» (D 898).

Unde: Iuxta Tridentinum, contritio, quae sit caritate perfecta, hominem Deo reconciliat, antequam sacramentum actu suscipiatur. Atqui Concilium non limitat hanc efficaciam contritionis ad aliquos tantum casus, sed loquitur sine ulla limitatione. Ergo, iuxta Tridentinum, contritio caritate perfecta semper peccatorem Deo reconciliat ante actualem sacramenti susceptionem.

PROB. II EX DAMN. PROPOSITIONUM BAII. D 1031-1033, 1070-1071.

PROB. III. EX SCRIPT. NOTA. Probabimus primo pro Antiquo Testamento, secundo pro Novo.

Ad probationem pro Antiquo Testamento, notandum est, nos argumentum desumpturos esse ex Ez. 33, 12. Iam vero, ex thesi praecedenti scimus, toto hoc loco Scripturae exhiberi paenitentiam, seu contritionem, et quidem qualem sensu catholico definivimus, ut dispositionem ad iustificationem. Nunc addimus, hanc contritionem, si sit caritate perfecta, esse dispositionem proximam, seu ea posita, statim ac semper iustificationem obtineri.

ARGUMENTUM. I. PRO ANTIQUO TESTAMENTO. In Ez. 33, 12 dicit Dominus: «Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccaverit, *et impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua,* et iustus non poterit vivere in iustitia sua in quacumque die peccaverit».

Hinc: Contritio, hoc loco, exhibetur ut dispositio, qua posita statim ac semper iustificatio obtinetur. Atqui contritio, hoc loco intelligenda, saltem est contritio caritate perfecta. E.

MAI. patet: fit enim comparatio inter iustum et impium, seu peccatorem, ut sicut iustus cum peccat, statim ac semper amittit vitam, seu gratiam, ita peccator cum conteritur, statim ac semper acquirat eam, seu vivat: siquidem toto hoc loco saepe ac magna emphasi insistitur in eo quod «est *aequi ponderis* via Domini» (33, 17): «cum enim recesserit iustus a iustitia sua, feceritque iniquitatem, morietur in eis; et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque iudicium et iustitiam, vivet in eis» (33, 19. Cf. Lu. 4, 370[1], n. 108, et D 894, 897).

MIN. PROB. Contritio caritate perfecta est species con-

tritionis omnium perfectissima, virtute continens perfectionem aliarum : est enim actus virtutis caritatis, quae (ut supponimus) aliarum perfectionem continet atque superat. Ergo contritio hoc loco intelligenda, saltem est contritio caritate perfecta.

II. Pro Novo Testamento. Efficaciam contritionis perfectae, quam nuper probavimus pro Antiquo Testamento, vim habere etiam pro Novo, tum significat S. Petrus (2 Petr. 3, 9) pro eodem habens, aliquem salvari atque ad paenitentiam reverti (conversione quidem perfecta), tum ipse Christus testatur expressius : ait enim (10, 14, 21-23) : «Qui diligit Me, diligetur a Patre meo, et Ego diligam eum, et manifestabo ei Me ipsum... et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus».

Unde : Actus perfectus virtutis caritatis coniunctam secum habet amicitiam divinam, seu gratiam. Atqui contritio caritate perfecta est actus perfectus virtutis caritatis. Atqui, contritio caritate perfecta coniunctam secum habet amicitiam divinam, seu gratiam.

Mai. prob. Actus perfectus virtutis caritatis (qualis est ille quo Christus-Deus perfecte diligitur) coniunctam secum habet dilectionem Patris et Filii (et Spiritus Sancti. Cf. v. 26), diligentem redamantium, in eoque stabiliter atque amicorum more commorantium (patet ex verbis adductis, collatis cum 15, 15). Atqui talis dilectio redamans atque mansio importat amicitiam divinam, seu gratiam : Pater, enim, et Filius et Spiritus Sanctus diligentem diligunt quia diliguntur ; eademque de causa, mysteria solis amicis communicanda (Cf. 15, 15 et 14, 21) Filius ei revelat ; Deus, denique, stabili modo inhabitans exhibetur in homine, quae quidem inhabitatio, secundum modum loquendi Scripturae (Cf. Rom. 8, 8-10. 1 Cor. 3, 16-17), importat amicitiam divinam, seu gratiam.

Min. prob. Contritio caritate perfecta est illa, cuius motivum est Deus, ut in se bonus, super omnia dilectus (patet ex definitione). Atqui talis contritio est actus perfectus virtutis caritatis : haec est enim, ut supponimus, virtus caritatis, illa cuius motivum est Deus dilectus, ut in se bonus est ; cum autem, insuper, tali contritione Deus diligatur *super omnia*, erit etiam actus *perfectus* virtutis caritatis.

PROB. IV. EX TRAD. Ut nuper probavimus, contritio caritate perfecta est actus perfectus virtutis caritatis. Ergo iuxta Patres, actus perfectus virtutis caritatis coniunctam

secum habet amicitiam divinam, seu gratiam : Sic, praeter alios (Cf. R 26, 493, 743, 1328, 1629. S 108, fin. Gl 47-50. D'Al 61, II) Chrysologus, Augustinus et Gregorius M.

S. Petrus Chrysologus: «Caelestis creditor totum debitum caritate compensat... Homo, remansit tibi unde piissimo satisfacias creditori : *absolvi vis? ama*... Negationis crimine quid peius? et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere... *Dilectio delet et abluit universa peccata*» (Sermo 94 ; ML 52, 465-466 ; R 2176).

S. Augustinus: «Redeat unusquisque ad cor suum : *si ibi invenerit caritatem* fraternam, *securus sit, quia transiit a morte ad vitam*... cum venerit Dominus, tunc apparebit in gloria» (In 1 Io. tract. 5, 10 ; ML 35 2017). Et vero, ut alias dicit, Deus eo ipso quod amatur, habetur : «*Deum* non vides ; *ama, et habes*... Deus nobis de compendio se offert, clamat nobis : *amate me, et habebitis me*» (Sermo 34, 3, 5 ; ML 38, 211).

S. Gregorius M.: «Quid fratres mei, esse dilectionem credimus, nisi ignem? et quid culpam nisi rubiginem? Unde nunc dicitur : Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Ac si aperte diceretur : *Incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem*» (Homil. in Evang. lib. II, homil. 33, n. 4 ; ML 76, 1241).

CONGR. Contritio caritate perfecta est perfecta conversio hominis ad Deum, ut summum omnium bonum super omnia dilectum, per quam detestatur homo, ut summum omnium malum, aversionem a Deo per peccatum inductam. Fuit ergo plane conveniens, ut eam Deus acceptaret, tamquam dispositionem proximam ad amicitiam divinam, seu gratiam, obtinendam.

SCHOL. *Ut contritio iustificet nullus certus gradus intensitatis requiritur.* Ut enim ait Lugo, «contritio etiam minus intensa est dolor *super omnia,* non quidem intensive sed appretiative. Ergo quando etiam exigitur dolor super omnia, non exigitur dolor summe intensus, sed *summus appretiative;* imo, si non esset appretiative summus, quantumcumque esset summe intensus, non sufficeret : non ergo attenditur ex necessitate ad intensionem, sed *ad perfectionem substantialem doloris*» (D. 5, s. 7, n. 84 ; 4, 363). Et quidem, ex documentis in thesi allatis hoc tantum eruitur, contritionem caritate perfectam iustificare, illam, sc., quae habeat perfectionem specificam actus virtutis caritatis, qua, sc., Deus super omnia

diligitur ; de hac autem accidentali perfectione maioris minorisve intensitatis, seu conatus (quae aliunde et mensuratur dificillime et nunquam potest esse simpliciter super omnia) nihil dicitur, nisi forte in textu S. Gregorii, ubi *iam non est sermo de iustificatione simpliciter, sed de plena peccati remissione,* videlicet quoad omnem reatum poenae ; ad hoc autem plane concedimus, contritionis intensitatem inservire (Cf. T Suppl. q. 5, a. 3. Lu D. 5, s. 7, nn. 83-87. Gl 58-64. S 114-121. Bi[6] 140-142).

TH. X. *Ad sacramentum Paenitentiae rite et cum fructu suscipiendum non requiritur contritio caritate perfecta.*

PRAENOTANDA

I. DECL. Contritionem perfectam consideravimus in se ipsa ; eam nunc spectamus relate ad sacramentum.

«Ad sacramentum Paenitentiae rite et cum fructu suscipiendum» : sc., ad hoc ut quis debito modo accedat ad sacramentum Paenitentiae, et fructum illius proprium percipiat.

«Non requiritur contritio caritate perfecta» : illa, sc., de qua in thesi praecedenti locuti sumus.

II. ADV. Antiqui illi scholastici, de quibus egimus in th. II (Cf. S 134, fin.).

III. CENS. Saltem certa.

ARGUMENTA

PROB. I. EX INSTITUTIONE SACRAMENTI. Nota. Quoniam sacramenti Paenitentiae institutio constat tum ex Scriptura tum ex Traditione, ex utroque hoc fonte vim habet probatio.

Argumentum. Si ad sacramentum Paenitentiae rite et cum fructu suscipiendum requireretur contritio caritate perfecta, sacramentum necessario inveniret iam factum illud ad quod efficiendum per se et primario est institutum. Atqui hoc nequit dici. E.

Mai. prob. Sacramentum Paenitentiae per se et primario est institutum ad remittenda peccata actu exsistentia (patet ex sectione I huius Tractatus. Cf. speciatim D 894, 911).

Atqui si ad eius susceptionem requireretur contritio caritate perfecta, talia peccata inveniret iam remissa per dictam contritionem (ut patet ex th. praecedenti). E.

Min. est evidens : tunc enim minister sacramenti se haberet sicut ianitor qui claves reciperet ad ianuam aperiendam his qui vellent ingredi, sed hac conditione ut clavibus non posset uti nisi in favorem eorum qui iam prius ipsi sibi ianuam aperuisset (Gl 296).

PROB. II. SPECIATIM EX PATRIBUS. Patres vocant sacramentum Paenitentiae alteram post naufragium tabulam, et medicinam quae ita peccati morbum sanat, ut sine illa sanari non possit, atque exhorrent impietatem eorum qui nolunt, aut negligunt, administrare sacramentum morientibus. Atqui haec Patres non dicerent, si ad sacramentum Paenitentiae rite et cum fructu suscipiendum requireretur contritio caritate perfecta. E.

Mai. prob. Adduximus superius (p. 34-35) testimonia Tertulliani, Origenis, Paciani et Leonis M. (Cf. etiam D'Al 74, Arg. II) ; his adiungi possunt Caelestinus Papa et Augustinus.

S. Caelestinus: «Agnovimus Paenitentiam morientibus denegari nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. *Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri... Quid hoc, rogo, aliud est quam morienti mortem addere, eisque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere?* (D 111).

S. Augustinus: «*Si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati!*» (Epist. 228, 8 ; ML 33, 1016. Cf. S 38[3].

Min. patet : si enim sacramentum Paenitentiae necessario inveniret homines iam iustificatos, seu a morte animae liberatos per contritionem caritate perfectam, quem sensum habere possent exclamationes huiusmodi ?

Nota. *Posse accedi ad sacramentum Paenitentiae etiamsi quis sciat, se non habere contritionem caritate perfectam,* patet ex dictis : argumenta, enim, probant, contritionem hanc nullo modo esse necessariam, et sacramentum Paenitentiae per se et primario esse institutum ad remittenda peccata actu existentia. Manent igitur refutati plures antiqui scholastici, qui ad hoc sacramentum requirebant contritionem *exsistimatam* (Cf. P[4] 89, nn, 160-162).

TH. XI. *Attritio ex timore gehennae concepta potest esse bona et positive excludere voluntatem peccandi.*

PRAENOTANDA

I. DECL. A contritione perfecta gradum facimus ad imperfectam ; et quidem in hac thesi independenter a sacramento, in sequenti relate ad ipsum.

«Attritio» : sc., contritio imperfecta, seu detestatio dolorosa peccati cuius motivum non est Deus, ut in se super omnia dilectus.

«Ex timore gehennae concepta» : sc., cuius motivum est timor inferni.

«Potest esse bona». NON DICIMUS, semper ac necessario esse bonam, SED AFFIRMAMUS, *posse dari attritionem* ex timore gehennae conceptam quae sit bona.—Attritio ex timore concepta dici solet *servilis:* est enim servorum proprium metu duci, sicut e contra filii potius ex amore operantur. Sed duplex plane diversa datur attritio servilis : serviliter servilis et simpliciter servilis. *Attritione serviliter servili* affectus hominis ita nunc est comparatus ut dicat : doleo me peccasse, tantum et *exclusive* quia Deus peccatum punit, ita ut non dolerem, sed *vellem peccare,* si Deus peccatum non puniret : hanc attritionem fatemur iam esse peccatum, ille enim iam peccat, qui peccare desiderat. *Attritione simpliciter servili* affectus hominis ita nunc est comparatus ut, etiamsi non moveatur ab aliis motivis quam a timore gehennae, tamen circa alios se habet solummodo *praecisive:* non dicit ullo modo : vellem peccare, si non esset infernus, sed, detestationem peccati eliciens ex timore gehennae, de aliis motivis in praesentia nihil dicit : hanc attritionem asserimus esse bonam. Negamus autem, attritionem ex timore gehennae conceptam debere esse serviliter servilem, sed dicimus, omnino posse esse servilem simpliciter.

«Et positive excludere voluntatem peccandi». ITERUM NON NEGAMUS, posse dari attritionem, ex timore gehennae conceptam, quae sit potius velleitas quam voluntas, quaeque proinde non sit efficax ad excludendam positive voluntatem peccandi, SED DICIMUS, attritionem ex timore gehennae conceptam *posse excludere* hanc voluntatem. Loquimur autem de exclusione *positiva:* sc., non de exclusione mere *negativa,* quae consistat in eo quod haec attritio sit bona, nullam habens adiunctam malitiam (hoc enim dicimus in prima parte), sed de exclusione insuper *positiva,* tali, sc., ut, ea stante, impos-

sibilis sit voluntas peccandi, et necessario detur propositum formale aut virtuale non peccandi de cetero.

II. ADV. Adversarii sunt quadruplicis generis. Thesi enim adversantur: 1.° *Protestantes,* tum primaevi tum moderni, speciatim Harnack, qui dicit hanc doctrinam inducere simpliciter ruinam religionis et moralis, 2.° *Kantiani* philosophi qui contendunt bonum non esse amandum nisi ratione sui, et ideo attritionem quam defendimus esse inframoralem, 3.° *Jansenius, Quesnel et Synodus Pistoriensis* (D 1305, 1410-1412, 1525), 4.° *Quidam ex catholicis saec. XVII et XVIII,* ut Juenin et Witasse, qui admittentes (verbis saltem) primam partem theseos, negant secundam (Cf. S. 123. Gl 72-74. Ht^2 337).

III. CENS. 1.ª pars est de fide definita in D 818 et 898. 2.ª pars, certa theologice, ut apparebit ex argumentis.

ARGUMENTA

1.ª PARS: *Attritio ex timore gehennae concepta potest esse bona.* PROB. I. SCRIPT. Quod Scriptura commendat est bonum. Atqui Scriptura commendat attritionem ex timore gehennae conceptam. E.

MIN. PROB. Sic ipse Christus Dominus: «Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et proice abs te: *expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*» (Mt. 5, 29). Et iterum: «*Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (Mt. 10, 28. Cf. D'Al 68, I).

PROB. II. TRAD. Patres commendant etiam attritionem ex timore gehennae conceptam (Cf. D'Al 69, II). Sic, v. gr., Tertullianus, Chrysostomus et Augustinus.

Tertullianus: «*Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera,* quam tibi exomologesis extinguet, et poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites» (De paen., 12; R 317).

Chrysostomus: «Quid gehenna gravius? Sed huius metu nihil utilius: *gehennae namque timor, regni nobis affert coronam... Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos, de poena et supplicio illic futuris loquens*» (Ad populum Antiochenum, Homil. 15, 1-2; MG 49, 154. Partim in R 1143).

Augustinus: «Modo cum dicis mihi: gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri timeo, quid dicturus sum? male times? vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore subiecit timorem, et ait, ubi dixit: nolite timere... (Lc. 12, 4-5). Cum ergo Dominus timorem incusserit et vehementer incusserit et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum: male times? Ista non dicam. *Plane time nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas*» (Serm. 161, 8; ML 38, 882. Partim in R 1514. De S. Augustino cf. Gl 76-78).

PROB. III. RATIONE. Attritio ex timore gehennae concepta tria importat: 1.° detestationem dolorosam peccati commissi, 2.° timorem gehennae et 3.° ordinationem detestationis peccati ad vitandam gehennam. Atqui talis attritio potest esse bona E.

MAI. patet ex definitione.

MIN. PROB. 1.° Detestatio dolorosa peccati commissi evidenter est bona. 2.° Timere gehennam, etiam: nam velle vitare malum creaturae rationali maxime disconveniens est bonum; atqui gehenna est creaturae rationali maxime disconveniens: ergo. 3.° Ordinare detestationem peccati ad vitandam gehennam est etiam bonum: siquidem detestari peccatum, quod est causa gehennae, evidenter est medium aptissimum ad vitandam gehennam. Atqui haec omnia fieri possunt, *quin positive excludantur* alia motiva, propter quae peccatum est detestabile: siquidem tunc circa illa affectus hominis potest se habere solummodo *praecisive*. Ergo attritio praedicta potest esse bona.

2.ª PARS: *Attritio ex timore gehennae concepta potest excludere positive voluntatem peccandi.* PROB. I EX SCRIPT. Scriptura proponit timorem gehennae, ut motivum efficax ad vitandum peccatum. Ergo attritio ex hoc timore concepta potest excludere voluntatem peccandi.

ANTEC. PROB. Sic Eccli. 7, 40: «In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis».

PROB. II. TRAD. Patres etiam proponunt timorem gehennae, ut motivum efficax ad vitandum peccatum. Sic, v. gr., Ambrosius et Augustinus.

Ambrosius: «Is qui in iudiciis Dei sperat, servare potest verbum veritatis, quia, *dum veretur poenam, custodit gra-*

tiam, ideoque ait: et custodiam legem tuam semper» (In ps. 118, 28-29; ML 15, 1277).

Augustinus: «Eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam; *ab his verbis tuis formidavit cor meum, et contempsi hominem persecutorem meum et vici diabolum seductorem meum*» (Serm. 31 in ps. 118; ML 37, 1591).

PROB. III. EX TRID. D 898, ubi supponit ut certum, attritionem imperfectam ex metu gehennae posse excludere voluntatem peccandi (Cf. S 128, III).

PROB. IV. EX CLEMENTE XI. D 1411.

PROB. V. RATIONE. Attritio ex timore gehennae concepta potest esse tam efficax, ut hominem determinet ad vitanda omnia illa quae a) inducunt in gehennam, et b) exponunt periculo in eam incidendi. Atqui quodlibet peccatum mortale et quilibet deliberatus affectus ad illud est huiusmodi. E.

MAI. PROB. Potest dari voluntas tam efficax evitandi aliquid, ut hominem determinet ad vitanda omnia illa quae in illud inducunt, et exponunt periculo in illud incidendi (ut patet). Imo talis esse debet voluntas vitandi gehennam, si maxima omnino rei gravitas perspiciatur: agitur enim de maximo hominis malo avertendo.

MIN. PROB. QUOAD a): quodlibet enim peccatum mortale, affectusque similiter peccaminosus, secum affert damnationem ad gehennam.

MIN PROB. QUOAD b): siquidem 1.° quamdiu quis in mortali versatur, si moritur, incidet in gehennam, 2.° in hac vita sunt multae causae mortis inopinatae, ut patet experientia et monitione Christi (Mt. 24^{44}) ut semper simus parati, et 3.° peccato Deum homo irritat, ne specialem providentiam pro se ipse possit sperare.

TH. XII. *Attritio ex timore gehennae concepta, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, disponit proxime ad iustificationem in sacramento Paenitentiae obtinendam, quin ullus Dei amor, attritioni praedictae superadditus, requiratur.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Attritio ex timore gehennae concepta» : illa, sc., quam nuper descripsimus.

«Si voluntatem peccandi excludat». Quoniam, ut diximus, non omnis attritio ex timore gehennae excludit voluntatem peccandi, expresse notamus nos non agere, nisi de illa quae talem voluntatem excludat, et quidem positive.

«Cum spe veniae». Supponimus etiam, dari in paenitente spem obtinendae remissionis peccatorum. «Ceterum, ut recte notat Galtier, spes huiusmodi non potest non exsistere in eo qui sincere accedat ad sacramentum» (Gl 303).

«Disponit proxime ad iustificationem in sacramento Paenitentiae obtinendam» : sc., ita praeparat animam ad iustificationem in sacramento Paenitentiae obtinendam, ut illa posita, iam nihil aliud requiratur (in linea, intelligitur, rei de qua agimus, contritionis, videlicet, seu detestationis peccati) ad iustificationem accipiendam in sacramento.

«Quin ullus Dei amor, attritioni praedictae superadditus, requiratur». NON DICIMUS, nullum Dei amorem requiri : libenter, enim, concedimus, in attritione praedicta aliqualem Dei amorem contineri, et quidem tripliciter : 1.° quatenus non sufficit ut dolor sit propter poenam tantum, sed requiritur ut paenitens detestetur ipsam Dei offensam, seu culpam, quae est malum Dei, 2.° quatenus attritio praedicta debet includere propositum servandi omnia mandata, et ideo servandi praeceptum caritatis erga Deum, et 3.° quatenus debet esse coniuncta cum spe veniae, seu amicitiae divinae, recuperandae, ubi includitur etiam amor concupiscentiae ; in quibus omnibus, ut patet, aliqualis Dei amor continetur ; SED DICIMUS, praeter hunc amorem in praedicta attritione imbibitum, non opus esse ut alius Dei amor superaddatur. (Cf. S 158, 2. Gl 304^4-306^2. T 1. 2 q. 40 a. 7. DT I, 2254^2-2255^5).

II. ADV. Quadruplex est genus adversariorum : thesi enim adversantur : 1.° *antiqui illi scholastici,* qui admittebant, hominem debere accedere ad sacramentum iam iustificatum per contritionem caritate perfectam, 2.° *contritionistae,* qui dicuntur, hi enim, cum requirerent ad iustificationem extra sacramentum caritatem intensam, exigebant ad iustificationem in sacramento caritatem remissam, 3.° *requirentes* (ad iustificationem in sacramento) *amorem initialem benevolentiae,* sive amorem quemdam caritatis inchoatum,

quo Deus amatur propter se, sed nondum efficaciter nec super omnia, sic, v. gr., Billuart, Sardagna, Simonet, Diekamp, 4.° *requirentes amorem initialem concupiscentiae,* ut Tournely, et ipsi Wirceburgenses, si amorem hunc, quem re-ꟻuiꟻuiꟻ, ɹǝ ʌǝɹɐ ıuʇǝllıgunʇ ǝssǝ dnǝɹǝddıʇnm ɐʇʇɹıʇıonı pɹɐǝ dictae (Cf. S 134-136. Gl 293, n. 386 et 303, n. 396. W 154-163. Rev. des Sc. Phil. et Théol., aa. 1925 et 1926).

III. CENS. Moraliter certa, ita ut in praxim deduci possit (Cf. D 1146. S 136. Gl 294, n. 387 et 306, n. 400).

ARGUMENTA

NOTA. Claritatis gratia, thesim ad probationem dividemus in duas partes : 1.ª «Attritio... obtinendam», 2.ª «Quin... requiratur».

PROB. 1.ª PARS. *Attritio ex timore gehennae concepta, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, disponit proxime ad iustificationem in sacramento Paenitentiae obtinendam.* De hac attritione dicit Conc. Trid. (D 898) : «Quamvis sine sacramento Paenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen *eum ad Dei gratiam in sacramento Paenitentiae impetrandam disponit*». Atqui, iuxta mentem Concilii, attritio in sacramento non disponit mere remote, sed proxime. E.

MAI., seu Concilium agere de atritione de qua loquimur, de illa sc. quae est ex solo timore (modo quo diximus), patet : nam, etsi Concilium nominet etiam motivum turpitudinis peccati, tamen, quoniam expresse dicit, attritionem hanc concipi «*vel* ex turpitudinis peccati consideratione *vel* ex gehennae et poenarum metu», manifeste significat, attritionem hanc sufficienter haberi ex alterutro ex his motivis. Unde Maiorem argumenti adversarii ipsi ultro concedunt.

MIN. PROB. Iuxta mentem Concilii, attritio extra sacramentum iam disponit ad iustificationem, etsi mere remote, non proxime. Atqui attritio extra sacramentum, quoad hoc praecise contraponitur attritioni in sacramento, quod sc. disponat mere remote, non proxime. Ergo, iuxta mentem Concilii, attritio in sacramento non disponit mere remote, sed proxime.

MAI. ULT. Iuxta Concilium, attritio extra sacramentum est «donum Dei... quo paenitens adiutus *viam sibi ad iustitiam parat*» : sc. (ut patet), disponit ad iustificationem. «Quamvis

sine sacramento Paenitentiae per se *ad iustificationem perducere peccatorem nequeat*» : sc. (ut etiam est manifestum), non disponit proxime. Ergo, iuxta mentem Concilii, attritio extra sacramentum iam disponit ad iustificationem, etsi mere remote, non proxime.

Min. ult. Iuxta Concilium, attritio praedicta, quae est «donum Dei... quo paenitens adiutus *viam sibi ad iustitiam parat*», «*quamvis* sine sacramento Paenitentiae per se *ad iustificationem perducere peccatorem nequeat,* tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Paenitentiae impetrandam disponit». Iam vero, sensus huius contrapositionis evidenter est hic : attritio, quamvis extra sacramentum, ad iustificationem disponat mere remote, non proxime, tamen in sacramento disponit, certe, non mere remote, sed proxime.

PROB. 2.ª PARS. *Ad iustificationem in sacramento Paenitentiae nullus Dei amor, superadditus attritioni praedictae, requiritur.* Concilium loquens (l. c.) de attritione quae sufficit ad iustificationem in sacramento Paenitentiae, nihil prorsus dicit de ullo Dei amore qui attritioni praedictae debeat superaddi. Atqui si ad iustificationem in sacramento Paenitentiae requireretur aliquis amor huiusmodi, Concilium deberet illum nominare. E.

Mai. patet ex mera inspectione contextus.

Min. prob. Si ad iustificationem in sacramento Paenitentiae requireretur aliquis amor huiusmodi, et Concilium illum non nominaret, occassionem praeberet fidelibus exsistimandi talem amorem non requiri. Atqui Concilium nequit hoc facere. E.

Mai. ult. Cum quis enumerat conditiones ad aliquid obtinendum, censetur iure merito enumerare saltem omnes essentiales. E.

Min. ult. Exsistimatio huiusmodi esset fidelibus perniciosissima : induceret enim in periculum efficacitatem sacramenti maxime necessarii, et occassionem praeberet interitus multorum hominum, qui alium dolorem nec afferunt nec afferre docentur.

Conf. Ecclesia videt, a multo iam tempore atque a maxima theologorum parte, sententiam negantem necessitatem amoris praedicti doceri ut moraliter certam et in praxi tutam. Atqui si haec sententia esset falsa, ne tolerari quidem eam posset, supposita eius infallibilitate et Spiritus Sancti assistentia : ob rationem nuper indicatam. E. (Cf. Gl 304 fin. G 300, fin.).

CAPUT II

DE CONFESSIONE

TH. XIII. *Lapsis post Baptismum integra peccatorum confessio iure divino necessaria est ad salutem.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Lapsis post Baptismum» : illis, sc., qui in peccatum mortale inciderunt post Baptismum.

«Integra peccatorum confessio» : manifestatio, sc., omnium et singulorum peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, ministro Paenitentiae facta ab ipso paenitente, ad eorum remissionem obtinendam. — Cum autem integritas confessionis possit esse duplex : *materialis,* qua omnia prorsus peccata declarantur, et *formalis* qua illa tantum accusantur, quae, hic et nunc, omnibus adiunctis spectatis, moraliter homo confiteri potest vel tenetur, NON CONTENDIMUS, materialem integritatem requiri, sed saltem formalem.

«Iure divino» : sc., non ex institutione humana, sed ex ipsius Christi-Dei institutione.

«Necessaria est ad salutem» : sc., nisi lapsi post Baptismum modo dicto confiteantur peccata sua, aut saltem illa confiteri velint, cum fieri possit et debeat, salutem obtinere non possunt. NON IGITUR CONTENDIMUS, semper necessarium esse ad salutem ut quis *re* ipsa confiteatur ; sed admittimus, confessionem esse tantum necessariam *in re vel in voto;* huius autem confessionis sufficientia eodem modo declarari et probari potest, quo declarata et probata est sufficientia sacramenti in re vel in voto (Cf. p. 31, fin. et 32, nota).

II. ADV. Thesi adversantur, praesertim ac generatim, protestantes, qui, etsi utilitatem confessionis soleant agnoscere ac commendare, eius tamen necessitatem totis viribus solent reicere, maxime quod dicamus, confessionem debere esse integram, et ideo non tantum confitenda esse peccata publica et externa, sed etiam occulta et interna, ac necessitatem procedere ex iure divino. (Cf. de omnibus adversariis in genere : Gl 313, nn. 410-411. Speciatim de anglicanis et ritualistis : DT III, 930^{4} - 935^{3}. De Luthero et lutheranis,

quoties sibimet ipsi contradixerint : ib. 935^4 - 941^3. De calvinistis : ib. 941^4 - 942^4. De modo quo moderni acatholici tum historiam, tum statum ipsum quaestionis pervertant : Gl 314, n. 416).

III. CENS. De fide definita in D 916-918, 899.

ARGUMENTA

PROB. I EX SCRIPT. Lapsis post Baptismum subiectio omnium peccatorum potestati clavium iure divino necessaria est. Atqui talis subiectio, iure etiam divino, fieri debet integra peccatorum confessione. Ergo lapsis post Baptismum integra peccatorum confessio iure divino necessaria est.

MAI. patet ex thesi VII, quam quidem probavimus ex institutione ipsius Christi-Dei, seu ex iure divino.

MIN. PROB. Talis subiectio, ex ipsa institutione Christi, seu iure divino, est iudicium (patet ex dictis p. 21), cuius obiectum sunt peccata. Atqui tale iudicium haberi nequit sine integra peccatorum confessione. Ergo dicta subiectio, iure divino, fieri debet integra peccatorum confessione.

MAI. ULT. patet : etenim iudicium paenitentiale, ex institutione Christi, consistit in remissione aut retentione peccatorum (Io. 20, 23) ; unde obiectum huius remissionis aut retentionis evidenter sunt peccata.

MIN. ULT. PROB. 1.° Nullum iudicium haberi potest sine integra sui obiecti cognitione. Ergo hoc iudicium, cuius obiectum sunt peccata, nequit haberi sine integra peccatorum cognitione. Atqui haec cognitio nequit haberi sine integra peccatorum confessione : peccatum enim proprie et formaliter non consistit nisi in actu interno, cuius solus testis est paenitens. Ergo hoc iudicium nequit haberi sine integra peccatorum confessione.

MIN. EAD. PROB. 2.° In omni iudicio potest iudex reo imponere poenas convenientes delictis. Ergo etiam in hoc iudicio potestas ligandi, ministro concessa ab ipso Christo, exerceri poterit impositione poenarum quae peccatis conveniant (Cf. D 905). Atqui hoc necessario supponit integram peccatorum cognitionem (quae, ut vidimus, ex confessione est haurienda. Cf. D 899). Ergo hoc iudicium haberi nequit sine integra peccatorum confessione.

CONFIRM. Protestantes ipsi non pauci, tum antiqui tum

moderni, vim huius argumenti adeo perspexerunt, ut plane sentiant, negari non posse, confessionem necessariam esse iure divino ad potestatem clavium exercendam, si eius ministri veri sint iudices, potestatem habentes remittendi peccata in foro interno (Cf. Be lib. 3, cap. 2; 555^{2}-^{5}. Gl 322, nota 3. S 163^{3}). Atqui ministros clavium veros esse iudices, tali potestate gaudentes, ex ipsa institutione Christi probavimus (sect. I). E.

PROB. II. TRAD. Longissimam testimoniorum seriem afferunt B. Bellarminus (lib. 3, cap. 5-10; 568-580) et D'Alès (84-108. Cf. etiam: Ht^{2} 385-397. Ot. 127-129 et 172-174. Gl 318-338. S. 164-170). Ex his quattuor tantum in specimen seligemus: Tertulianum, Chrysostomum, Pacianum et Leonem M.

Tertullianus: «*Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur!* Videlicet, *si quid humanae notitiae subduxerimus,* proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? *An melius est damnatum latere quam palam absolvi?*... Miserum est secari et cauterio exuri... tamen quae per insuavitatem medentur, et emolumento curationis offensam sui excusant et praesentem iniuriam superventurae utilitatis gratia commendant... *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet, et poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedi adeptione non dubites...* Hirundo, si excaecaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia: peccator *restituendo sibi institutam a Domino exomologesim* sciens praeteribit?» (De Paenitentia, 10 et 12; partim in R 316-317).

Chrysostomus crebro hortatur fideles ut peccata sua confiteantur, nec ullo modo a confessione verecundia retrahantur. Sic, v. gr.: «Quisnam ille frigidus multorum sermo? Vereor, inquiunt, pudore suffundor, neque possum vel os diducere. *Satanica est haec verecundia...* Dic igitur, ut id lucro tibi sit; dic, ut, illis hic depositis, illo abeas purus et a delictis vacuus, et *ab illa intoleranda promulgatione libereris*» (De incomprehensibili Dei natura, homil. 5, n. 7, partim in R 1131). «*Nihil tam exitiale peccato quam peccati accusatio* condemnatioque cum paenitudine lacrimisque coniuncta. Condemnasti tuum peccatum? deposuisti sarcinam. *Quis haec dicit? ipse iudex Deus:* Dic tu peccata tua prior, ut iustificeris. Cur igitur te, quaeso, pudet, et erubescis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num conservo confiteris

ut in publicum proferat?» (De Lazaro, homil. 4, n. 4; R 1132). Ideo ipse S. Chrysostomus, adeo sedulo incumbebat confessionibus audiendis, ut ei vitio verterent eius inimici quod dixerit: «Si iterum peccasti, paeniteat iterum, et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo» (Ex libello accusationis apud Photium: Biblioth. cod. 59; MG 103, 111). Potestatem vero quam habent sacerdotes remittendi ac retinendi peccata, provenire, iuxta Chrysostomum, ab ipso Christo, patet ex his quae dicit in libro de Sacerdotio (R 1119).

Pacianus: «Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis Paenitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, et *erubescitis confiteri,* qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, et altare Domini non timetis... Audite quid fecerit Dominus, tum deinde quid dixerit... *Clamat idem Dominus* et dicit: Omnis mundus manducabit carnem... Antiqua ne ista sunt, et modo non fiunt?... In prima Corinth. Paulus haec intulit: Quicumque, inquit, manducaverit aut biberit calicem Domini indigne...» (Paraenesis ad Paenitentiam; VCE 10). Post pauca ita pergit: «*Quid facies tu qui decipis sacerdotem?*... Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, *desinite vulneratam tegere conscientiam:* prudentes aegri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos... *peccator erubescet perpetuam vitam praesenti pudore mercari?* et offerenti manus Domino vulnera male tecta subducet?... Peccatoribus delicatis et paenitentiam non agentibus *Spiritus Domini comminatur*... Si de cruciatu exomologesis retractatis, *gehennam recordemini, quam vobis exomologesis extinguet*» (Ibid. 11^3 et 15^{2-3}). Et expressius, quoad ius divinum: «Si nihil in baptizatos possunt nequitiae spirituales... nulla exomologesis, nulli gemitus audiantur, contemnat omne remedium superba iustitia; quod si *haec homini suo Dominus ipse providit*... desinite divinam accusare pietatem... *Nunquam Deus non paenitenti comminaretur,* nisi ignosceret paenitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit; verum est sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est: nam *quid est illud quod Apostolus dicit: Quae ligaveritis...*?» «Epist. 1 ad Simpronianum; VCE 25 et 27).

Leo M.: «Illam etiam, contra apostolicam regulam, praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usur-

patione committi, modis omnibus constituo submoveri. De Paenitentia scilicet, quae a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publice recitetur, *cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta... Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti*» (D 145). «*Sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri: Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Iesus, hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem*, ut et *confitentibus* actionem paenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatis ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent... Oportet unumquemque christianum conscientiae suae habere iudicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, et illius temporis angustias eligat, *quo vix inveniat spatium vel confessio paenitentis* vel reconciliatio sacerdotis» (D 146-147).

CONGR. Quantum confessio inserviat ad mores emendandos, pacemque conscientiae obtinendam, experientia plane compertum est (Cf. D 896 et 900. DA III, 1785-1786).

TH. XIV. *Confessio per se distincta esse debet omnium peccatorum secundum speciem et numerum; ita tamen ut integritas haec materialis ad valorem et fructum sacramenti non semper requiratur; immo, merito absolvendus sit, in casu necessitatis, qui sua peccata in communi tantum confiteri possit.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Confessio» : quam descripsimus in thesi praecedenti.

«Per se» : sc., obiective, seu, ut eruitur ex natura iudicii paenitentialis, in se spectati.

«Distincta esse debet omnium peccatorum secundum speciem et numerum» : sc., non sufficit confiteri omnia peccata in communi, sed opus est ut species eorum et numerus declaretur.

«Ita tamen ut integritas haec materialis ad valorem et fructum sacramenti non semper requiratur» : sc., potest aliquando consistere sacramentum, tum quoad validitatem tum etiam quoad fructum, etiamsi non detur praedicta materialis integritas.

«Immo, merito absolvendus sit, in casu necessitatis, qui sua peccata in communi tantum confiteri possit» : sc., in casu necessitatis, absolvi debet ille qui tantum modo quodam generico peccata sua confiteri potest, ut si dicat : «peccavi», et similia.

II. ADV. Primae parti theseos adversantur, ut patet, protestantes. Altera et tertia pars non habent adversarios ; etsi tertiae contradixerunt Dominicus Soto, Navarrus et Ledesma, qui tamen iamdiu ab omnibus deseruntur.

III. CENS. Prima pars est de fide definita in D 917, 899.

Altera pars, quatenus dicit, sacramentum fore validum et fructuosum, etiamsi quis omittat confiteri aliqua peccata *ex oblivione involuntaria,* est etiam de fide definita in D 900 ; quatenus vero supponit esse etiam alias causas excusantes ab integritate materiali (quarum determinatio pertinet ad moralem), est certa et communis.

Tertia pars est nunc etiam certa et communis.

ARGUMENTA

1.ª PARS. *Confessio per se distincta esse debet omnium peccatorum secundum speciem et numerum.* PROB. I. EX SCRIPT. Exercitium potestatis clavium est iudicium, cuius obiectum sunt peccata, quae per confessionem cognoscuntur. Atqui talis confessio per se distincta esse debet omnium peccatorum secundum speciem et numerum. E.

MAI. patet ex thesi praecedenti, quam quidem ex Scriptura probavimus.

MIN. PROB. 1.° Omne iudicium per se exigit ut iudex cognoscat omnia delicta, circa quae debet iudicare, cognitione distincta secundum speciem et numerum. Atqui in iudicio de quo agimus cognitio haberi debet per confessionem. Ergo talis confessio per se distincta esse debet omnium peccatorum secundum speciem et numerum.

MIN PROB. 2.° In hoc iudicio potest minister imponere paenitenti poenas quae peccatis conveniant (ut patet ex thesi praecedenti). Atqui aequitas, in poenis iniungendis servanda, per se supponit cognitionem omnium peccatorum, sola confessione acquirendam, et quidem non in genere, sed in specie ac singillatim (Cf. D 899). E.

PROB. II. TRAD. Patres gravissime et instantissime hortantur fideles, ne peccata confiteri erubescant, etsi interna illa sint et occultissima ac maxime verecunda, exemplo utentes aegri, qui omnia prorsus sua vulnera medicis manifestat (patet ex textibus adductis in thesi praecedenti). Atqui his omnibus manifeste significant, non in genere dumtaxat, sed in specie ac singillatim peccata omnia esse confitenda : secus quem sensum habere possent adhortationes huiusmodi ? E.

2.ª PARS. *Integritas materialis ad valorem et fructum sacramenti non semper requiritur.* PROB. I. Christus censendus est confessionem sacramentalem ita instituisse, ut hominibus, humano modo agentibus, esset possibilis. Atqui si integritas materialis semper requireretur ad valorem et fructum sacramenti, Christus non ita instituisset confessionem sacramentalem. E.

MAI. patet ex infinita bonitate ac sapientia Christi, qui confessionem sacramentalem instituit pro hominibus.

MIN. PROB. Si integritas materialis semper requireretur, saepe confessio sacramentalis hominibus, humano modo agentibus, esset impossibilis : nam, illis praecise qui maxime indigent hoc sacramento, multa solent memoria excidere ; si in periculo mortis versantur, saepe non possunt integre confiteri ; aliquando erit collisio cum iure fortiori, ita ut detur moralis impossibilitas aliquid confitendi, ut si detur periculum violationis sigilli, et sic in aliis casibus (Cf. Ferreres, II, n. 600).

PROB. II. Doctrina et praxis Ecclesiae, a multo tempore iam communis, id ipsum plane ostendit.

3.ª PARS. *Absolvendus est, in casu necessitatis, ille qui sua peccata in communi tantum confiteri possit.* PROB. I. Absolvendus est moribundus sensibus destitutus, si confitendi desiderium, sive per se sive per alios, ostenderit. Ergo a fortiori, si sua peccata in communi tantum confiteri possit.

ANTEC. PROB. S. Leo M. : «Si aliqua vi aegritudinis ita fuerint aggravati, ut, quod paulo ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et paenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur» (D 147). Hoc etiam in Rituali Romano expresse dicitur.

PROB. II. Ratio cur ad valorem et fructum sacramenti non semper requiratur integritas materialis est impossibilitas, physica vel moralis, quae saepe occurrit (patet ex dictis). Atqui in nostro casu datur eadem ratio quoad accusationem quamlibet peccatorum in specie. Ergo in hoc casu non requiritur talis accusatio ad valorem et fructum sacramenti.

SCHOL. 1.um *Confessio sensibilis necessario ad sacramentum requiritur.* Nam sacramentum Paenitentiae essentialiter est iudicium *sensibile* (patet ex thesibus IV et V). Atqui ad iudicium sensibile necessario requiritur *accusatio sensibilis,* quae (ut thesi XIII probavimus) nequit in hoc iudicio haberi nisi per confessionem. E.

SCHOL. 2.um *Peccata confitenda sunt omnia simul.* Nam in hac providentia, peccata non remittuntur nisi per gratiam (ut patet ex tract. de Gratia). Atqui gratia consistere non potest cum ullo peccato mortali (ut etiam inde patet). Ergo, nisi remittantur, et ideo accusentur, omnia peccata simul, nullum remittitur.

CAPUT III

DE SATISFACTIONE

Quoniam satisfactio tendit ad remittendam poenam temporalem quae, dimissa culpa et poena aeterna, solet remanere (Cf. D 807, 904-905, 922-925), prius iaciendum est hoc fundamentum : verum, sc., hoc esse quod supponit, non semper remitti totam poenam temporalem, culpa et poena aeterna dimissa. Duae igitur erunt theses, quarum in prima de hoc fundamento, in altera de satisfactione ipsa dicemus.

TH. XV. *Cum culpa et poena aeterna, non semper remittitur tota poena temporalis Deo persolvenda.*

PRAENOTANDA

I. DECL. Peccato duplex reatus incurritur : culpae et poenae. *Reatus culpae,* seu peccatorem reum esse culpae, consistit in ipsa culpa habituali, qua peccator est habitualiter aversus a Deo, et obiectum inimicitiae et abominationis divinae. *Reatus poenae,* sive esse reum poenae, stat in eo quod homo sit dignus qui a Deo puniatur, et ideo sit obiectum divinae vindictae.

«Cum culpa et poena aeterna». Aliunde supponimus, (Cf. 12^{2}), cum culpa semper ac necessario remitti etiam poenam aeternam ei respondentem.

«Non semper dimittitur tota poena temporalis Deo persolvenda». Admittimus quidem, aliquando cum culpa et poena aeterna dimitti totam poenam temporalem, ut fit in Baptismo, in Martyrio, in actu contritionis perfectissimo et quando satisfactio, ante absolutionem impleta, sufficiens fuerit ad remittendam totam poenam quae secus remansisset culpa dimissa ; dicimus, hoc *non semper* accidere.

II. ADV. Thesi adversantur generatim protestantes et graeci schismatici (Cf. Gl 417^{2}. Be 603^{7-9}. W 191^{1}. D'Al 124^{1}. DA II, 372, 375^{2}-376^{2} [a. Grecque (Église] ; IV, 497^{6}-502^{6} [a. Purgatoire]. Ot 160^{2}).

III. CENS. De fide definita in D 807, 840, 904, 922.

ARGUMENTA

PROB. I. EX SCRIPT. In Scriptura, pluries Deus ita exhibetur agens cum peccatoribus, ut cum culpa et poena aeterna non semper ipsis remittat totam poenam temporalem Ei persolvendam. Atqui haec non sunt nisi casus particulares normae obiectivae generaliter constitutae, qua cum culpa et poena aeterna non semper remittitur tota poena temporalis Deo persolvenda. E.

MAI PROB. Inter plura quae afferri possent (Cf. Num. 20, 12 coll. Dt. 32 49-52. 2 Reg. 24, 10 sqq., etc.) duo seligimus, alterum ex Antiquo, alterum ex Novo Testamento.

2 Reg. 12, 9-18, reprehendens Nathan Davidem de eius peccato, dicit : «Haec dicit Dominus... Quare ergo contempsisti verbum Domini, *ut faceres malum in conspectu meo?*... Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, *eo quod despexeris me*... Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum:* non morieris. *Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur... Accidit autem die septima ut moreretur infans*». Hinc : Davidi remissa est culpa, et consequenter poena aeterna, sed non tota poena temporalis Deo persolvenda.

Cor. 11, 27-32 : «Quicumque manducaverit panem, hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini... Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. *Ideo* (διὰ τοῦτο). *inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi*... Dum iudicamur autem *a Domino corripimur ut non cum hoc mundo damnemur*». Hinc : Multi ex Corinthiis fuerunt morbis et morte ipsa puniti, propter sumptionem indignam Eucharistiae (διὰ τοῦτο). Atqui certe noluit Apostolus dicere, omnes qui hanc poenam temporalem subierant, fuisse poena aeterna damnatos : cum expresse dicat : «A Domino corripimur, *ut non cum hoc mundo damnemur*» (Cf. Pacianum, VCE 11[1]). Ergo his cum culpa et poena aeterna non est dimissa tota poena temporalis Deo persolvenda.

MIN PROB. a) Iuxta Scripturam, Deus non agit cum peccatoribus arbitrarie, sed tam in puniendo quam in remunerando, reddit «unicuique iuxta opera sua» (Ps. 61, 13. Prov. 24, 12. Mt. 16, 27. Rom. 2, 6).

b) Iuxta ipsam Scripturam, culpa et poena aeterna statim sola caritate remittitur (Cf. th. IX). Atqui nihilominus eadem Scriptura omnes universim hortatur, ut ad obtinendam remissionem peccatorum, paenitentiam agant «in ieiunio et in fletu et in planctu» (Ioel, 2, 12), «in cilicio et in cinere» (Mt. 11, 21). Ergo supponit, dari normam obiectivam generaliter constitutam, qua cum culpa et poena aeterna non semper remittitur tota poena temporalis Deo persolvenda.

PROB. II. TRAD. Ecclesiam semper tenuisse thesim nostram, Calvinus ipse negare non audet (Cf. S 186⁶). Tripliciter autem apparet mens Ecclesiae : 1.° ex dictis Patrum explicitis, 2.° ex doctrina et praxi de satisfactione, 3.° ex thesibus de Purgatorio et suffragiis pro defunctis.

1.° Ex dictis Patrum explicitis. Duo seligimus (Cf. Be lib. 4, cap. 9 ; 617-623), Augustini, videlicet, et Gregorii M.

Augustinus: «Veritatem dilexisti : id est, *impunita peccata, etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti...* Nam et ipsi David, *cui dictum iam fuerat per prophetam: Dimissum est peccatum tuum, evenerunt quaedam quae minatus erat Deus propter ipsum peccatum*» (Enarratio in Ps. 50, cap. 11 et 15 ; ML 36, 592 et 595).

Gregorius M: Sciens quod non parceres delinquenti... Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia *delictum sine ultione non deserit:* aut enim ipse hoc homo in se paenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur : quia *nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire post confessionem meruit: Dominus transtulit peccatum tuum; et tamen, multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpae quam perpetraverat exsolvit* (Moralia, lib. 9, cap. 34, n. 54 ; ML 75, 889 ; partim in R 2309).

2.° Ex doctrina et praxi de satisfactione. Praeter ea quae dicenda sunt in thesi sequenti, sit in specimen can. 13 Concilii Nicaeni 1[1] : «De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua et canonica servabitur ut si quis vita excedit, ultimo et maxime necessario viatico non privetur. Quod si desperatus aliquis accepta communione supervixerit, sit inter illos qui in oratione sola communicant, donec statutum tempus compleatur. Generatim vero cuilibet, nullo excepto, qui in exitu inveniatur et Eucharistiae communionem flagitet, episcopus cum probatione impertia-

tur» (Msi 2, 674). Unde : Iuxta primum Concilium Oecumenicum, paenitentes qui iam acceperant absolutionem in periculo mortis, postea, si convalescebat, iubebantur persequi paenitentiam quam interruperant, ut plenam remissionem peccatorum acciperent. Atqui tunc non agebatur de remissione culpae et poenae aeternae, quae his hominibus, utpote absolutis, iam erant remissae. Ergo agebatur de remissione poenae temporalis, et ideo, iuxta primum Concilium Oecumenicum, cum culpa et poena aeterna non semper remittitur tota poena temporalis Deo persolvenda.

3.° Ex thesibus de Purgatorio et suffragiis pro defunctis. «Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta ex sacris Litteris et antiqua Patrum traditione... (docet) Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis iuvari» (D 983). Atqui hoc supponit, cum culpa et poena aeterna non semper remitti totam poenam temporalem Deo persolvendam : illam sc. poenam pro qua Purgatorium animae patiuntur, et a fidelibus adiuvantur (G. Ht^{2} 256^{1}) E.

CONGR. D 904. S 187.

TH. XVI. *Homo iustus pro debito poenae temporalis potest in hac vita Deo satisfacere, et quidem de condigno.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Homo iustus» : ornatus, sc., gratia sanctificante.

«Pro debito poenae temporalis» : pro illo, sc., quod thesi praecedenti probavimus non semper remitti simul cum culpa et poena aeterna.

«Potest in hac vita». Supponimus, post hanc vitam, tempus satisfaciendi, sicut et merendi, esse finitum.

«Deo satisfacere» : sc., actiones aliquas praestare, ex quarum valore compensativo obtineat a Deo debiti remissionem.

«Et quidem de condigno». In hac secunda parte theseos addimus, praedictum valorem compensativum tanti ponderis esse, ut moraliter acquivaleat poenae persolvendae.

Supponimus, servari conditiones necessarias tam ex parte poenae compensandae, quam ex parte operis compensantis. *Ex parte poenae compensandae* supponimus, eam non esse

ex illis quas *aliquando* Deus ita immittit, ut expresse declaret, se nolle *pro illis* compensationem accipere (Cf. 2 Reg. 12, 16, sqq. Deut. 3, 26, 32, 49). *Ex parte operis compensantis* supponimus etiam, illud esse bonum, supernaturale, liberum ac poenale ; notandum tamen est, cum communi sententia, in hoc statu naturae lapsae, quodlibet opus virtutis haberi aliquo modo posse ut poenale ; ; ideo Tridentinum (D 923) recenset inter opera poenalia, quae apta sunt ad satisfaciendum, non solum ieiunia et eleemosynas, sed etiam orationes et alia opera pietatis (Cf. S 193-195).

II. ADV. *Primae parti* theseos adversantur, saltem generatim, protestantes et graeci schismatici (Cf. Be 606^{3-5}, 607^{7} — 608^{2}, 614^{1-5}. Gl 369^{2}. Praeterea D'Al, DA, Ot loc. cit. in thesi praecedenti).

Alteri parti adversatur Baius.

III. CENS. *Prima pars* est de fide definita in D 923 (Cf 904-906, 922, 924-925, 807).

Altera pars est certa et communis contra Baium, cuius propositiones damnatae sunt in D. 1059, 1077.

ARGUMENTA

1.ª PARS. *Homo iustus pro debito poenae temporalis potest in hac vita Deo satisfacere.* PROB. I. EX SCRIPT. Iuxta Scripturam, ipse peccator potest in hac vita, eleemosyna, aliisque operibus, peccata redimere. Ergo a fortiori id poterit iustus quoad reatum poenae temporalis, si Deus hanc satisfactionem acceptet. Atqui Deus significavit, se talem satisfactionem acceptare. E.

ANTEC. PROB. Prov. 16, 6 : «*Misericordia* et veritate *redimitur iniquitas*». 15, 27 : «*Per misericordiam* (G ἐλεημοσύναις) et fidem *purgantur peccata*» (Cf. Knab. 112, ad fin.).

Dan. 4, 24 : «Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi, et *peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum*» (Cf. Knab. 149^{2} — 151^{2}).

Tob. 4, 11 : «*Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat,* et non patietur animam ire in tenebras». 12, 9 : «Eleemosyna a morte liberat, et *ipsa est quae purgat peccata* et facit invenire misericordiam et vitam aeternam» (Cf. Alap. IV, 284, 11 et 305, 8. Praeterea : Ion. 3, 10. 3 Reg. 21, 27-29, etc.).

Conseq. patet. Nam, eo maior est valor moralis et efficacitas operis ad aliquid obtinendum, quo maior est dignitas operantis et minor res obtinenda. Atqui, quoad hominen operantem, dignitas iusti in immensum superat indignitatem peccatoris, et, quoad rem obtinendam, culpa et poena aeterna simili modo excedit poenam temporalem. Ergo si opus peccatoris redimere valet (aliquomodo) culpam et poenam aeternam, multo magis poenale opus iusti poenam temporalem valebit redimere.

Min. subsumpt. prob. Si Deus hortatur nos ad hanc satisfactionem praestandam eo ipso significavit, se talem satisfactionem acceptare (ut patet). Atqui Deus hortatur nos ad hanc satisfactionem praestandam (Cf. pag. 67[1]). E.

PROB. II. TRAD. Sic, praeter alios (Cf. Be lib. 4, cap. 9; 617-623. D'Al 124-133. Gl 370-373), Ambrosius et Augustinus.

Ambrosius: «Sicut qui pecunias solvunt debitum reddunt, *nec prius evacuatur faenoris nomen, quam totius sortis, ad nummum usque,* quocumque solutionis genere, *quantitas universa solvatur: sic compensatione caritatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati poena dissolvitur*» (Expositio Evang. sec. Luc., lib. 7, n. 156; R 1305; ML 15, 1829).

Augustinus: «Per eleemosynas de peccatis praeteritis est propitiandus Deus; non ad hoc emendus quodammodo: nemini enim dedit laxamentum peccandi; *quamvis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur...* Qui enim vult ordinate dare eleemosynam, a se ipso debet incipere, et eam sibi primum dare... Iudicium et caritatem Dei cum pharisaei praeterirent... non dabant eleemosynas a se incipientes... Vae vobis, inquit, pharisaeis... qui decimatis mentam... et praeteritis iudicium et *caritatem Dei, qua eleemosyna posselis ab omni inquinamento interiori mundari...* Haec, inquit, oportuit facere, id est iudicium et caritatem Dei, et illa non omittere, id est eleemosynas fructuum terrenorum» (Enchiridion, capp. 70 et 76, nn. 19 et 20; ML 40, 265 et 268).

CONGR. S 191.

2.ª PARS. *Satisfactio praedicta est de condigno.* PROB. I. EX DAMN. PROP. BAII. D 1059, 1077.

PROB. II. EX TRID. Concilium (D 904-906, 922-924, 807) ita simpliciter et absolute affirmat, nos satisfacere pro poena temporali, peccatis remissis debita, ut simul neget satisfactionem dari pro culpa et poena aeterna. Atqui, iuxta mentem Concilii, satisfactio pro poena temporali, peccatis iam remissis debita, est de condigno. E.

MIN. PROB. Si, iuxta mentem Concilii, satisfactio praedicta non esset de condigno, nec eam vocaret simpliciter et absolute *satisfactionem:* cum propie non *satis faciat,* qui non affert aliquid quod moraliter aequivaleat poenae persolvendae, nec pro culpa et poena aeterna satisfactionem dari negaret: cum pro his detur, iuxta omnes, satisfactio de congruo.

PROB. III. RATIONE. Satisfactionem praedictam esse de condigno, significat, valorem compensativum ipsius, tanti ponderis esse, ut moraliter aequivaleat poenae persolvendae. Atqui talis potest esse valor compensativus satisfactionis praedictae. E.

MAI. est definitio.

MIN. PROB. Satisfactio praedicta non solum est opus poenale, seu poena aliqua, quae compensare valeat poenam persolvendam, sed etiam est opus bonum, supernaturale ac liberum hominis iusti, filii Dei (patet ex praenotandis). Atqui opus bonum, supernaturale ac liberum hominis iusti moraliter aequivalet gloriae aeternae quam de condigno meretur (ut aliunde supponimus). Ergo a fortiori satisfactio praedicta, seu opus poenale, bonum, supernaturale ac liberum hominis iusti, moraliter aequivalere poterit poenas persolvendae.

SECTIO II

FORMA SACRAMENTI PAENITENTIAE

TH. XVII. *Forma sacramenti Paenitentiae, si Christi institutio tantum spectetur, deprecativo modo potest proferri.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Forma sacramenti Paenitentiae» : sc., verba quibus minister sacramenti absolvit paenitentem. — SUPPONIMUS, formam sacramenti Paenitentiae verbis esse proferendam (Cf. S 210-212). — PRAESCINDIMUS hoc loco a quaestione de essentia huius sacramenti, an sc. materia et forma *proprie dictis* componatur ; sed verba praedicta *vocamus* formam, more ab omnibus usitato.

«Si Christi institutio tantum spectetur» : sc., considerando tantum naturam sacramenti Paenitentiae, ut a Christo instituti ; versamur igitur in ordine mere speculativo, NEC SOLVERE INTENDIMUS sequentem casum practicum : an sc. *hic et nunc* absolutio prolata deprecativo modo a sacerdote ritus latini esset valida : fatemur enim, duplici modo posse impugnari eius validitatem : 1.° ex defectu iurisdictionis, 2.° ex defectu debitae significationis. *Quoad 1um* ita argui potest : Ecclesia praescribit sub gravi sacerdoti latino usum formae indicativae (D 896. Rituale Romanum, ed. typ. 1925, tit. III, cap. 2, pag. 112-113). Atqui hoc ipso insinuare videtur, ipsam auferre iurisdictionem sacerdoti latino qui forma deprecativa utatur E. *Quoad 2um* ita potest procedi : Eatenus valeret forma deprecativa, quatenus in his adiunctis, ex communi acceptione, significationem haberet indicativae aequivalentem. Atqui huiusmodi communis acceptio a multo iam tempore non habetur in Ecclesia Latina. E.

«Deprecativo modo potest proferri». Duplex est modus proferendi formam absolutionis : indicativus et deprecativus. *Formam proferri indicativo modo,* nihil est aliud quam verba absolutionis poni in modo illo grammaticali qui dicitur indicativus, quo sc. minister affirmat, se remittere peccata paenitenti : talis est forma qua nunc utimur in Ecclesia La-

tina : «ego te absolvo a peccatis tuis». Formam indicativo modo posse proferri, nimis est clarum, ut probare debeamus (Cf. D 896). *Formam proferri modo deprecativo* est illam proferri per modum orationis, quo minister Deum precatur ut paenitentem absolvat. Dupliciter autem minister precari Deum potest : deprecatione simplici et potestativa. *Simplici deprecatione* orat minister, si non utitur potestate ministeriali ac iudiciali quam ei Christus concessit, sed tantum beneficium sibi concedi precatur. *Potestativa deprecatione* orat, si utitur praedicta potestate, si sc. agit ut iudex mere delegatus, seu vicarius, qui processum iudicialem finiens et causam agens coram iudice principali, loco dicendi : «ego te absolvo», diceret : «absolvat te Princeps». Cum igitur dicimus, formam sacramenti Paenitentiae posse proferri modo deprecativo, NON LOQUIMUR DE SIMPLICI DEPRECATIONE, SED DE POTESTATIVA.

II. ADV. Citari solent ut adversarii huius theseos multi ex antiquis theologis, inde a saeculo XIII, sed non pauci ex illis tantum nomine tenus adversantur : postquam enim multum pugnaverunt pro forma indicativa contra deprecativam, tandem aliquando declarant, *se loqui tantum de simplici deprecatione, non de potestativa* (Cf. DT I, 180^{2}-191^{2}, 246^{4}-248^{1}. Ht^{2} 134, fin. Hg. 339). Nostram vero thesim sustinent, post Morinum, moderni iam communiter, ut Franzelin, Palmieri, Vacant (art. cit.), Billot, Sasse, De San, Pesch, Huarte, Galtier, D'Alès.

III. CENS. Thesis videtur iam certa moraliter dici posse.

ARGUMENTA

PROB. I. Forma sacramenti Paenitentiae, per multum tempus, tam in Oriente quam in Occidente, deprecativo modo prolata est. Atqui hoc ostendit, formam deprecativo modo collatam institutioni Christi congruere. E.

MAI PROB. Ecclesia Graeca (exceptis nunc Graecis Unitis qui in Europa versantur), pleraeque Ecclesiae Orientales et Mozarabica, ad nostra usque tempora, forma deprecativa utuntur. Similiter Ecclesiam Latinam eadem forma usam esse per decem priora saecula, multum suadent : tum locu-

tiones Sanctorum Patrum qui absolutionem non aliter vocant quam supplicationem aut orationem, tum libri rituales antiquissimi qui, saltem multo communius, non aliam formam absolutionis exhibent quam deprecativam, tum denique dicta plura antiquorum scriptorum et theologorum qui hoc idem omnino videntur supponere (Cf. Morinum, De administratione sacramenti Paenitentiae, lib. 8, cap. 8-12, pag. 529-552. DT I [a. «absolution»], 157-214. Gl. 389, n. 503-504. D'Al 151-153).

Min. patet : nam a) nequit dici, Ecclesiam, per multum tempus, tali absolutionis forma esse usam, quae institutioni Christi non congrueret ;

b) Ecclesia Latina nunquam ut invalidam habuit formam Graecorum ;

c) Benedictus XIV Graecis, qui Graecos absolverent, permisit ut adhiberent «*orationem illam deprecativam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt*» (Conc. Collect. Lacens. 2, 511, V).

d) Immo S. Officium a. 1865 Graecis hanc formam praescripsit, etiam in absolutione Latinorum (Collectanea de Propag. fid., ed. a. 1907, t. 1, pag. 702, n. 1275).

PROB. II. Forma sacramenti Paenitentiae, si Christi institutio tantum spectetur, proferri potest modo qui aequivaleat formae indicativae nunc ab Ecclesia Latina adhibitae. Atqui modus deprecandi potestativus huic formae indicativae aequivalet E.

Mai. patet : nam, si Christi institutio tantum spectetur, formae sacramentorum proferri possunt quocumque modo qui aequivaleat formae quae certo sit valida (S I, 131[4]).

Min. prob. Modus deprecandi potestativus est ille quo minister sacramenti, processum sacramentalis iudicii finiens (confessione audita) et potestate utens iudicis vicarii coram iudice principali, loco dicendi : «ego te absolvo», dicit «absolvat te Deus» (patet ex definitione, et ex praenotatis). Atqui talis modus deprecandi, saltem si ex communi acceptione determinetur in his adiunctis ad significationem potestativam, aequivalet indicativae formae : «ego te absolvo». E.

Min. ult. prob. Ad absolutionem potestative ab homine conferendam, duae causae necessario concurrunt, Deus, ut causa principalis, et sacerdos ut ministerialis. Ergo forma : «Deus te absolvat», quae habeat significationem potestati-

vam, hunc sensum necessario habebit : «Deus te absolvat *per ministerium meum*». Atqui haec forma omnino aequivalet huic alteri : «ego te absolvo ut minister Dei», quae est eadem forma nostra indicativa : ultima enim verba necessario semper subintelliguntur. E. — Sic forma deprecativa qua benedicit Pontifex aut sacerdos : «benedicat vos o. Deus», huic alii : «ego vos benedico» omnino aequivalet, iuxta omnes.

SECTIO III

MINISTER SACRAMENTI PAENITENTIAE

TH. XVIII. *Minister sacramenti Paenitentiae est solus sacerdos.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Minister sacramenti Paenitentiae» : qui, sc., hoc sacramentum potest administrare.

«Est solus sacerdos» : solus, sc., ille qui potestatem habet sacrificium in Ecclesia offerendi, ut est episcopus et presbyter.

II. ADV. Thesi adversantur, post Wicleffitas et Hussitas (Cf. D 670), protestantes, iuxta quos potestas remittendi peccata omnibus et singulis fidelibus est communis, etsi, ad confusionem vitandam, ea uti non debeant, nisi illi qui sint a magistratu aut communitate deputati.

III. CENS. De fide definita in D 902, 920 (Cf. Ht^2 431, n. 423).

ARGUMENTA

NOTA. Advertere solent auctores, ex sola Scriptura non satis constare, quinam sint illi successores Apostolorum, quibus concessa est potestas remittendi peccata ; thesim igitur probamus ex Traditione. Quoniam vero, primis saeculis, sacramentum Paenitentiae generaliter administrare solebant episcopi, hique praecipue vocari solebant sacerdotes (Cf. D 98), ne quis suspicetur, sacerdotes quos Patres vocant ministros Paenitentiae fuisse tantum episcopos, probamus speciatim in minore argumenti, sacerdotum nomine etiam intelligendos esse presbyteros.

PROB. I. Patres non solum a) solos sacerdotes nominant, cum de ministris Paenitentiae locuntur, b) eorumque dignitatem, prae omni alia excellentem, ex potestate remit-

tendi peccata derivant, sed c) etiam, solos sacerdotes ministros esse absolutionis explicite profitentur. Atqui nomine sacerdotum, Paenitentiae ministrorum, etiam sunt intelligendi presbyteri. E.

Mai. prob. quoad a). Sint in specimen Cyprianus et innocentius I (Cf. S 77, fin.). *Cyprianus:* «Quanto et fide maiore et timore meliore sunt qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum *apud sacerdotes Dei* dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiae faciant» (De lapsis, 28; R 553). *Innocentius I:* «De pondere aestimando delictorum, *sacerdotis est iudicare,* ut attendat ad confessionem paenitentis» Ep. 25, ad Decentium, 7; ML 20, 559).

Mai. prob. quoad b). Sufficiat nominare *Chrysostomum:* «*Sacerdotii* solium in caelis collocatum est, et caelestia administrandi habet auctoritatem. Quis haec dicit? Ipse caelorum Rex: quaecumque enim ligaveritis... *Quid cum hoc honore conferri possit?*» (Hom. 5 in Is., 1; MG 56, 131).

Mai. prob. quoad c). *Ambrosius* loquens de potestate remittendi et retinendi peccata, dicit: «Ius enim hoc *solis* permissum *sacerdotibus* est» (De Paenitentia, lib. 1, cap. 2, n. 7; R 1293). *Leo M.:* «Sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut *indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri*» (D 146).

Min. prob. Presbyteri 1.° veri sunt sacerdotes, 2.° ut tales, etiam primis saeculis, habebantur et 3.° expresse etiam in Traditione apparent ut ministri Paenitentiae. Ergo nomine sacerdotum, Paenitentiae ministrorum, etiam sunt intelligendi presbyteri.

Antec. prob. quoad 1^{um}. Presbyteri potestatem habent offerendi sacrificium (ut supponimus). Atqui, iuxta omnes, verus sacerdos est ille qui talem habet potestatem. E.

Antec. prob. quoad 2^{um}. Sint in specimen S. Innocentius I et S. Hieronymus, qui presbyteros expresse vocant «sacerdotes secundos» (Cf. D 98 et S 78, fin.).

Antec. prob. quoad 3^{um}. Inter alia plura quae afferri possent (Cf. Cl 399, n. 512), sufficiat citare S. Dionysium Alexandrinum et S. Hieronymum. *S. Dionysius,* episcopus Alexandriae, dicit se presbyteris in mandatis dedisse, «ut morituris, si peterent, venia indulgeretur», et ideo, Serapionem, senem et moribundum, haec loquentem inducit: «Pro-

perate, quaeso, et me quantocius absolvite : accerse mihi *unum ex presbyteris*» (Apud Eusebium, Hist. Eccl., 6, 44 ; MG 20, 631). *S. Hieronymus:* «Episcopus *et presbyter*... cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus» (In Matth. 3, 16, 19 ; R 1386).

PROB. II. Ecclesia pluries thesim declaravit : D 670, 753, 902, 920.

TH. XIX. *Ut sacerdos valide absolvat, indiget iurisdictione; quae ipsi non confertur vi solius ordinationis.*

PRAENOTANDA

I. DECL. «Ut sacerdos valide absolvat» : ne, sc., eius absolutio non solum illicita sit, sed etiam nulla.

«Indiget iurisdictione», seu vera aliqua potestate regiminis (Cf. can. 196. Ferr. Inst. Can. I, n. 241).

«Quae ipsi non confertur vi solius ordinationis» : sc., ex eo praecise quod ordinem sacerdotalem acceperit.

Thesis habet duas partes : 1.ª : «Ut sacerdos... iurisdictione». 2.ª : «Quae... ordinationis».

II. ADV. *Primae parti* adversantur protestantes : cum enim negent, potestatem absolvendi esse iudicialem, consequenter negare etiam debent necessitatem iurisdictionis.

Alteri parti adversatur, praesertim saltem, Armacanus ; iuxta quem, Ecclesia potest quidem reddere absolutionem illicitam, sed nequit eam reddere invalidam quantum est ex parte sacerdotis, etsi confessio scienter illicita, seu sacrilega, ex parte paenitentis, consequenter sit etiam invalida (Cf. Su 347, nn. 5-6, et 524, n. 2).

III. CENS. *Prima pars,* quatenus dicit, requiri iurisdictionem ad absolvendum valide *a peccatis mortalibus nondum directe remissis,* est saltem doctrina catholica, seu certa theologice (Cf. D 903, 921, 1537) contra protestantes ; quatenus vero praedictam necessitatem extendit *ad peccata venialia et mortalia iam directe remissa,* quam quidem extensionem olim plures et gravissimi theologi negaverunt (Cf. S 86²), est saltem certa moraliter.

Alteram partem etiam, saltem, moraliter certam dicimus (Cf. Su 347, nn. 5-7; 524, n. 3, fin.).

ARGUMENTA

PROB. 1.ª PARS. «*Ut sacerdos valide absolvat, indiget iurisdictione*». I. Sacerdos in tribunali Paenitentiae verus est iudex. Atqui verus iudex, ut valide absolvat, indiget iurisdictione. E.

MAI. patet ex th. IV (Cf. D 903).

MIN. PROB. Verus iudex, ut valide iudicet, causam decidere debet auctoritative, non ut merus consultor, mere speculative declarans, sed ut verus superior, sententiam ferens practice efficacem (patet ex ipsa veri iudicis notione. Cf. p. 16). Atqui ad hoc indiget iurisdictione, seu vera aliqua potestate regiminis (ut patet). E.

II. Sacerdos in tribunali Paenitentiae non solum habet potestatem solvendi, sed etiam ligandi, seu obligandi, ad convenientem, sc., satisfactionem subeundam (D 905). Atqui rursus ad hoc indiget vera aliqua potestate regiminis. E.

III. Ex declarationibus Ecclesiae: D 903, 1537.

PROB. 2.ª PARS: «*Iurisdictio sacerdoti non confertur vi solius ordinationis*». Docet Trid. (D 903. Cf. D 1537 et Cod. can. 879) «nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, *in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem*». Atqui hoc modo loquendi Tridentinum supponit ut certum, iurisdictionem sacerdoti non conferri vi solius ordinationis. E.

MIN. PROB. Hoc modo loquendi Tridentinum supponit ut certum, posse dari aliquem qui sit verus sacerdos, et tamen invalide absolvat, eo quod nullam habeat iurisdictionem. Atqui nihilominus verus ille sacerdos integram iam accepit ordinationem. E.

A. M. D. G.

236.4 23045
P 965
PUIG DE LA BELLACASA, JOACH., S.J.

AUTHOR
De Sacramento Poenitentiae

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Wright
	Mason
	STORAGE

23045